CASPARI JACOBI CHRISTIANI REUVENS COLLECTANEA LITTERARIA, ...

Caspar Jacob Christian Reuvens

COLLECTANEA LITTERARIA.

CASPARI JACOBI CHRISTIANI REUVENS

COLLECTANEA LITTERARIA,

SIVE

CONIECTURAE

IN

ATTIUM,	OVIDIUM,
DIOMEDEM,	PLAUTUM,
LUCILIUM,	SCHOL. ARISTOPH.
LYDUM,	VARRONEM,
NONIUM,	ET ALIOS.

Passim MStorum librorum ope factae, et maximam partem ad Romanorum Rem Scenicam pertinentes;

QUIBUS ACCEDIT

DISPUTATIO

DE LINGUAE GRAECAE PRONUNCIATIONE.

LUGDUNI BATAVORUM,
Apud H. W. HAZENBERG, JUNIOREM,
CIↃIↃCCCXV.

1815

[illegible]

[illegible]

ARGUMENTUM.

§. 2.

Neque enim tu is es, quem nihil nisi jus civile delectet: et quoniam ad te haec ita scribuntur ut etiam in aliorum manus sint ventura, detur opera, ut quamplurimum iis, quos recta studia delectent, prodesse possimus.

(CICERO *ad* TREBATIUM. *Topic.* C. 19.)

CASPARI JACOBI CHRISTIANI REUVENS

COLLECTANEA LITTERARIA

ad JANUM EVERARDUM, patrem optimum,

Curiae supremae Belgii Septentrionalis Praesidem secundarium.

EXORDIUM.

Quamvis multi viri doctissimi, qui vel studiorum olim mihi duces exstiterunt, vel nunc etiam in vitae curriculo sunt fautores, ad haec Collectanea edenda me libris vel editis vel scriptis suppeditandis adjuverint, adeoque ipsum libellum, quasi debitum sibi munusculum, postulare videantur; tamen ut tibi eximiè, pater carissime, a filio unico et unicè amato hae studiorum primitiae offerantur, pietas postulavit. Quid enim ad patrem sunt fautores, quamvis benevolentissimi? Et verò quid ad te sunt studiorum auctores? Tu enim, mi pater, ut morum culturam, veri rectique sensum a te formatum teceam, animum studiis, praeter omne aliud vitae genus, et admovisti, et iisdem informasti. Tu sol-

sollicitâ curâ, nec sumtibus parcens, optimis me praeceptoribus erudiendum tradidisti. Tu ne Themidem modò, verum et Musas colere possem, liberaliter prospexisti, neve alterum prae altero studium negligerem, omnium primus maximusque auctor et impulsor fuisti. Quae beneficia utinam vel satis dignè praedicare possem! Auctorem verò te studiorum meorum quid appello, cum et praeceptorem te meritò celebrare possim. Quippe idem tu, etsi homo reipublicae caussâ occupatissimus, cum puerum me publicâ institutione erudiendum sapienter censeres, tamen huic me credere non contentus, ipse privatim optimis auctoribus praelegendis et explicandis, animoque ad illorum veneres advertendo, institutioni illi praeparabas, et, continuato labore, in iis me, quae in ludis discebam, confirmabas, in aliis, quae non docebar, ipse domi instituebas. Sic tu, mi pater, ut, prae illius tirocinii litterarii commilitonibus, incredibili harum venustatum amore caperer, effecisti; sic tu totius disciplinae meae, quantulacumque illa est, verior quam quisquam alius mihi auctor es celebrandus: sic ergò jure tibi hoc, quamvis leve, munusculum offero, tuae institutionis primariae serum fructum.

Habes hic autem specimen laboris circa *Romanorum Comoedias*, in quo nosti me jam per triennium versatum esse, et cui me admovit tum harum litterarum amor, tum crebrò oblata occasio iisdem ope-

ram

ram aliquam impendendi. Cum enim, quod ad litterarum quidem studium Academicum adtinet, in Amstelodamensi primùm Athenaeo praeceptore mihi contigisset uti viro celeberrimo *Lennepio*, optimo nunc etiam fautore, dein Lugduni Batavorum summi *Wyttenbachii* disciplinae me tradere coepissem; ecce quantum reliquum erat temporis et operae, quae studiis dare constitueram, id in Academiâ Parisinâ iisdem impendere fata me jusserunt: quippe in quam urbem te, munus illic judiciale capessentem, secutus eram. Hic statim, *Lennepii* commendatione, *Boissonadii* celeberrimi institutione et amicitiâ frui datum est: quo commodo eò semper magis gavisus sum, quò certius est, eum ferè solum, post *Larcheri* et *Chardonii* mortem, Gallorum in Graecis litteris nomen, etiam apud exteros, dignè tueri. Ergò, quamvis plurimum temporis sibi posceret jus civile, tamen ego opportunitatem, quam praebebat Regia, quae tunc Caesarea dicebatur, Bibliotheca, publico usui patens, eam sine fructu praeterire nolui. Animus suasit ut illic omne otium, quod restaret, alicui operi litterario impenderem. Qua de re cum praeceptorem pristinum, Lennepium, eximiae elegantiae atque eruditionis virum consuluissem, auctor is fuit ut Latinorum Comicorum fragmenta colligerem, ordinarem, et restituerem, quod nemo datâ operâ fecisset. Huic statim labori manus admovi, et, quantum ab optimo *Boissonadio*, et viris humanissimis et eruditissimis, *Marranos*, verbi di-

divini ministro, *van Praetio*, librorum Bibliothecae typis excusorum custode primario, *Carolo Benedicto Hase*, Saxone, librorum ibidem manuscriptorum custode secundario; aliisque multis, in conquirendis, et in usus meos adhibendis libris adjutus sim, dicere non possum: quibus vereor ut unquam par gratia a me referri queat. Mox autem, etsi, ut fit, longè majoris molis opus fore vidi, quam initio censueram, tamen sic in eo versatus sum, ut, quod ad subsidia e MStis accipienda adtinet, Comicorum quidem fragmenta, quae apud Nonium (omnium auctorum in iis referendis copiosissimum) inveniuntur, ea omnia cum tribus vetustissimis Bibliothecae illius scriptis Nonii codicibus contulerim. Ac constitueram equidem reliquorum etiam, quae citat idem Grammaticus, veterum scriptorum fragmentis eandem operam praestare, et alios quoque Nonii Codices recentiores, qui illic magno numero habentur, cum editis conferre; sed utrumque consilium quominus exsequerer, primùm in causâ fuerunt horarum subsecivarum, quibus illa tractabam, angustiae, et tandem planè impediit optatus in patriam reditus.

Neque sic tamen hanc Nonii variarum lectionum jacturam valdè mihi dolendam esse sivit summi Wyttenbachii non satis praedicanda humanitas. Quippe qui, post reditum meum, mentione de consiliis meis auditâ, statim aditum ad *Bondami* in Grammaticos Latinos apparatum, qui in

di-

divite nostrâ Bibliothecâ Lugduno-Batavâ servatur, mihi patefecit. Cum enim Bondamus complures meliores notae Nonii codicibus, quam sunt illi, qui Parisiis excerpendi mihi restabant, usus sit, sanè melius etiam in hoc laborioso sparsu, quam in illis codicibus, opella mea poni et poterit deinceps collocari.

Atque, Wyttenbachii factâ mentione, silentio non premendus est vir nobilissimus, Wyttenbachii amicus, *van Wesele Scholten*, collega tuus: cujus Bibliothecâ, quibusvis librorum divitiis instructissimâ, sic uti mihi licuit, ac si mea fuerit: quem spero hocce grati animi publicum testimonium aequi bonique facturum.

Sic autem, quò pleniores sunt copiae, quibus me ad restituenda Comicorum fragmenta instruxit illorum virorum benignitas, eò majoris etiam molis fit opus et diutius prematur necesse est: ergò et eò magis cupio, antequam multa ipse in ordinandis et corrigendis fragmentis tentem, virorum doctorum de meâ in illis versandi ratione, simul et de quibusdam circa rem scenicam universam conjecturis, judicia elicere. Cui rei hocce opusculum, quod tibi, caro capiti, dono jam mitto, destinavi. In quo ne, toto nondum satis perspecto, partes tractarem, ego Comicorum quidem ipsorum fragmenta de industriâ omisi, et potius

Tra-

Tragicorum et Satyricorum *Attii*, *Ennii*, *Lucilii*, *Pacuvii*, *Varronis* fragmenta quaedam a me tentata profero. His adjunxi conjecturas in *Grammaticos* quosdam, et in *Johannem Laurentium Lydum*, nuper e Msto editum, maximè illas ad rem scenicam pertinentes. Admiscui et nonnullas aliorum scriptorum emendationes. Haec omnia critici generis opuscula ad ordinem litterarum digessi, eo consilio, ut si quis illorum quos dixi, auctorum omnes simul reliquias denuò et emendatius, haud sanè inutili operâ, edere cupiat, is facillimè meas qualescumque conjecturas reperire possit. Iisdem denique alius generis dissertatiunculam *de Linguae Graecae Pronunciatione* subjunxi.

Et sic tamen accidisse videbis, ut versûs cujusdum Luciliani varia lectio loco alieno, (nempe in *Codicum* demum *Notitia* *) obiter memoretur. Hoc sic se habet. Interea dum primae hujus libelli plagulae, adeòque et Lucilii locus, de quo sermo est, typis describebantur, ipse valetudinis causâ in Germaniâ aliquamdiù peregrinans, Guelferbytanam quoque Bibliothecam invisi, et, quamvis in patriam redire properans, nihil antiquius habui, quam ut Nonii Codices, qui ibi adhuc habentur, oculis lustrarem. Inde ergò hanc variam lec-

* Vid. ibi, inter *Nonii libros MStos Guelferbytanos* n. I. p. 189.

lectionem, speciminis loco, descripsi, eandemque nunc non omittendam putavi.

Hujusmodi ergò, pater optime, noster est libellus: tenuis, sed sic tamen fortasse, ut ipse monitus paullatim uberiora et rectiora dare possim. At minus etiam probabilis idem foret, nisi judicio suo de meis conatibus officiosissime mecum communicato adjuvissent, saepiusque me stylum vertere docuissent viri optimi Lennepius et Boissonadius: ita ut *ex his* quoque ego *multas, et reconditâ plenas eruditione animadversiones, vel blandè elicuerim, vel importunè expresserim* [b]. Atque utinam Wyttenbachio quoque in his recensendis locus hîc esset! sed is quod potuit, qua est humanitate, id abunde, nec rogatus, praestitit, nempe locupleti illo librorum eximiorum apparatu me auxit; ulteriora verò quò minus beneficia tribueret, impedîit virum summum tristissima ipsi, et magis etiam orbi erudito, caussa, miserandus oculorum morbus.

Fragmenta corrigere res est difficilis et lubrica. Neque sanè ineptè Delrius [c] suas Tragicorum correctiones *Opinationes* nominare maluit. Opus hic est

b. Verba sunt Ruhnkenii *Praef. ad Tim. Lexic.* p. XXIII. de Hemsterhusio.

c. Delrius (sive *Del Rio*) in *Syntagmate Tragoediae Latinae* Part. I. p. 261. Lutet. Paris. 1620. 4to.

est felicibus, et, sive de improviso, sive e MStorum varietate natis cogitationibus. Equidem in neutro genere me jactabo: qui saepe sim expertus, ea quae mihi, auctori suo, maxime adrisissent, a viris doctis, quos consulerem, plane esse rejecta; alia autem, a me profecta, quae ipse contemnerem, iis aliquo favore non indigna visa fuisse.

COLLECTANEA LITTERARIA.

CAPUT PRIMUM.

ATTIUS.

Amphitryonis fragmentum.

Apud NONIUM. *v. Temeriter* (XI. 54.)

Saepius observatum est, litteram V in manuscriptis codicibus aut mutatam esse, aut male lectam, ita ut voces, in quibus illa occurrat, praecipue antecedente vel sequente *i* vel *t* vel *n*, in alias similes mutarentur. Ita vocabula *ut* et *vi* [a], *jus* et *vis* [b], *junctui* et

a. Vid. Burm. ad Nemes. Cyneg. v. 71; et exemplis ab eo relatis adde aliud Afranii, apud Sosipatr. l. II. col. 170. Putsch. quod tractat Bondam. Var. Lect. l. II. c. 10. p. 236.

b. Ita e JCtis nostris quidam, in definitione tutelae, pro *vis ac potestas* reponunt *jus ac potestas*. Certe ad veteris scripturae observationem satis probabiliter.

et *vinctus* [c], *judex* et *vindex*, *judico* et *indico* [d] aliaque ejus generis multa misceri, passim traditur ab eruditis.

Ita quoque cum apud Nonium [e] fragmentum Varronis hujusmodi legeretur: „ *Vigere volitans mulsus aquam e nubibus tortam indicat fore, ut tegillum pastor sibi sumat;* felicissime Scaliger restituit JUGERE *volitans* MILVOS *visus aquam*, caet. cum *jugere*, minus notum de voce milvii vocabulum, abiisset in usitatius *vigere* [f]. Quod quidem exemplum eo lubentius describo, quia, nescio quo fato, vocabulum *visus*, ad sententiam necessarium, et a Scaligero restitutum, omissum est ab iis, qui locum postea retulerunt [g], ut ab aliis omissum fuit τὸ *milvos*, sive *milvus* [h]. Omnes decepti illi tum Nonii libris, in quibus pro *milvos visus* legebatur *mulsus*, tum metrica hujus fragmenti compositione, quam aliquo modo illi senserunt, sed non satis plane perceperunt, neque satis commode expresserunt. Ergo vide obiter an sic restituere possis:

Jugere volitans MILVIUS
Visus aquam e nubibus tortam indicat fore, ut
Tegillum pastor sibi sumat.

Eg

c. Vid. Heins. ad Ovid. Trist. III. 10, 25.

d. Exemplum vid. apud Intt. ad Fulg. Plac. v. *Blaterare*, n. 12.

e. In *Tegillum* (II 835)

f. De voce *jugere* vid. Bondam. I. supra cit. p. 257.

g. Ut in Varron. Ed. Bip. T. I. p. 307. et in nota Scalig. ad Fest. v. *Jugere*. ed. Delph.

h. Ut in Variis Lectt. ad calcem Nonii ed. Merc. prim. a. 1583.

Ex eadem igitur hujus confusionis observatione duae leviculae in *Attii Amphitryonem* et *in Lucilii lib.* V. conjecturae mihi natae sunt, quarum altera suo loco [i], servato litterarum ordine, commemorabitur; altera jam nunc harum observatiuncularum agmen ducet, tenui sane auspicio, atque utinam modò auspicato.

Prior ex Amphitryone Attii locus ita legitur in Nonio:

Hoc IN RE *est, quod tu tam temeriter meam benivolentiam Interisse es ratus.*

Atque huic loco alterum e Festo [l] adtexuerunt:

——— *Aut tam obstinato animo confisus tuo.*

Atque Mercerus quidem, qui videret illud *Hoc in re est* nullum idoneum sensum efficere, neque adeo ferri posse, fidenter conjecit *Hoccine est:* idem dubitanter a Delrio prolatum, sed a Scriverio [m] in contextum receptum est: ut adeo totus locus sic constitueretur:

Hoccine est, quod tu tam temeriter meam benevolentiam n Interisse es ratus? aut tam obstinato animo confisus tuo?

Quod

i. Vide *Caput Tertium.*

l. v. *Obstinato.*

m. Collect. Vet. Trag. p. 93.

n. Ita Scriv. legit: cum Merc. *benivolentiam* exhibeat, quae scriptura etiam est Codicum et antiquarum aliquot edd. Nos INTERIISSE.

Quod ad sensum, vix melius. Quid enim sibi vult: HOCCINE EST QUOD *tu meam benivolentiam interisse* RATUS ES? Neque vero Vossio [o] placuit conjunctio locorum e *Nonio* et *Festo* „ in quibus, ait, „ neque sententia satis commode cohaereat, „ quaeque metrum jungi non patiatur, nisi pro *con-* „ *fisus* scribas *fisus*."

Sed omnibus, credo, hisce difficultatibus obviam it conjectura, cujus faciendae cogitatio me subiit e lectione Nonii codicum ex celebri illâ et antiquâ Regiâ Parisiensi Bibliothecâ, duorum scilicet e tribus, quos illic consului et excerpsi. Nam Codex B et C unâ voce exhibent: „ *Hoc* IN *re* „ *est*." Ergo id mihi videtur referendum ad solennem istam litterae *v*, praecipue juncta *i*, commutationem, ita ut legam JURE, et versus simul hic colligam:

— Hoc
Jûre est, quod tu tàm temeriter meám benivolentiam interisse es Rátus, aut tam obstinàto animo confisus tuo —

Qua correctione, sane faciliori, quam est Delriana vocis mutatio (in *Hoccine*) fit ut totius loci rationem, tum Grammaticam, tum metricam, e Terentiani cujusdam comparatione commodissime probem. Is enim in Andria [p] e Bentlejanâ praeclarâ correctione, ita inducit iratum Davo Pamphilum:

UM

o. Ad Serv. Coll. p. 130.
p. III. 5. pr.

Ubi illic est? scelus, qui me hodie ...? perii ...! atque hoc confiteor JURE
MI OBTIGISSE, QUANDOQUIDEM *tam iners, tam nulli consili sum.*
Servon' fortunas meas me commisisse futili!

Grammaticâ enim ratione prorsus simili Attius dixit: „ *Hoc jure est quod*, —" pro *quia*, et Terentius: *Hoc jure mihi obtigit, quandoquidem.*

Tum metricam dixi. Nam in utroque loco Trochaici quadrati pleni (quos apicibus indicandos censui, ne quem falleret Tragici et Comici metri licentia) tribuuntur iratae personae, et alios objurganti, cui sustinendae sunt aptissimi. Nobilissimum et alterum hujus rei exemplum in aliâ Attii fabulâ *Meleagro* q:

Heu cor irâ fervet caecum! amentiâ rapior ferorque!

Atque ego suspicor integram Plauti e Pseudolo scenam, quae lenonis jurgium ad servos continet *, hoc metro esse scriptam: quod nunc quidem, per temporum et imperitorum librariorum corruptelam, non plane est obvium, sed tamen e certissimis vestigiis potest indagari.

Haec igitur de metro fragmenti nostri observatio, tum et gravitas verborum, ostendit summo jure quasi consutum esse hunc e Festo et Nonio centonem; et male scrupulum a Vossio injectum fuisse circa me-

q. Ap. Non. in *fervit* (X. 1.)
* Pseud. I. 2.

metrum et sententiam: quae quidem, etsi haud facile dixerim e quanam fabulâ, quove ex argumento ducta sit, Tragicum tamen profecto quiddam spirat. At Vossii, credo, error hinc fluxit, quod Comici argumenti fabulam esse sibi persuaderet, cum Plautina Tragico-Comoedia [r] Amphitryone comparando. Patet hoc ex illius adnotatione ad alia fragmenta. Tamen ante illum Delrius Tragoediam esse diserte monuerat [s]: recte is quidem, sed pravo usus argumento. Ait enim, *apud Graecos non Archippi modo sed et Aeschyli fuisse ejus nominis fabulam. Archippum* quidem Comicum esse, ostendunt fragmenta apud Athenaeum [t]. Quod vero Delrius alterius auctoris, *Aeschyli*, fabulam *Amphitryonem* Tragoediam fuisse, ex *Aeschyli* nomine efficit, in eo fallitur. Is enim Amphitryonis auctor haud sane celeberrimus ille est Tragicus, verum diversus ab hoc, Alexandrinus (ut ipse a Delrio citatus Athenaeus [u] docet) et ipse Comicus, si recte judico de fragmento, quod ex hujus Amphitryone profert Athenaeus, in quo amator amorem sibi occultandum esse dicit. — Itaque Tragicum Amphitryonem citasset potius Delrius Sophocleum [x], primum, et secundum. Et sane uni-

r. Ita vocat ipse Plautus Prolog. v. 59.

s. Eademque sane ipsius *Scriverii* opinio, qui Tragicorum fragmentis inseruerat.

t. III. 15. p. 295. E; X. 7. p. 26. B; XI. 14. p. 499. B.

u. L. XIII. c. 8.

x. Vid. Fabrit. Bibl. Gr. II. 17. Vol. I. p. 625. (ed. Hamb. 1708)

universa herois illius vita, quod recte ab Heynio[y] monitum, cothurno satis amplam materiem suppeditavit.

Probatâ igitur quodammodo, nisi me omnia fallunt, totius fragmenti hujus constitutione, restat ut reliqua etiam Codicum scriptura varia hic apponatur, aliis fortasse usui futura: qua in re non ero longior:

Quod: quo, Paris. B, C. Error ortus e sequenti voce *tu*.
benvolentiam: ita C; *benev* — B.
es ratus: *esse ratus*, C. Ortum e praecedenti *interisse*.

Tum Bondamianae Codicum collationes aliique libri, quos summi viri ejusdemque humanissimi Wyttenbachii beneficio inspicere mihi licuit, cum his Parisinis fere consentiunt:

In neve: litteris *ne* obelo transverso expunctis, Codex Gud.; *in te*, Cod. Dorv.
quod tu tam. *quod tutam*, C. Gud.; *quo t. t.* Cod. Voss., Anon. Oud., et Palat. pag. 123. — Dorv. autem et ed. Venet. 1498, ut hic, *quod tu tam.*
benivolentiam: *benevolentiam*, iidem omnes, praeter Palatinum et ed. Ven.
interisse: *interiisse*, C. Dorv. et Pal.
es ratus: *ratus es*, iidem.

y. Ad Apollod. II. 4. 6. Obss. p. 129.

CAPUT SECUNDUM.

DIOMEDES.

Lib. III. *Col.* 486. *Puts.*

Inter omnes Grammaticorum locos, qui de re scenicâ agunt, maxime absoluta est haec Diomedis disputatio, ita ut ad hujus quasi normam caeteras Donati, Euanthii, et reliquorum enarrationes Critici dirigere soleant. Quare, quo saepius a viris eruditis eadem disputatio citata et tractata est, eo impensius mirandum est, difficultatem, quae in eâ resedit, a nemine, quod quidem sciam, animadversam fuisse.

Nam Diomedes, de larvarum usu sermonem faciens; „ antea, inquit, galeris non personis utebantur, ut qualitas coloris [a] iudicium faceret aetatis, „ cum essent aut albi, aut nigri, aut rufi. Personis „ vero uti primus coepit Roscius Gallus, praecipuus „ histrio, quod oculis obversis erat, nec satis decorus in personis, nisi parasitus pronuntiabat". Pa-

a. Ad verba *qualitas coloris* Bondamus adscripsit: *de Rott. Conj.* p. 107. Is autem agit de galerorum usu.

Parasiti haec mentio mihi suspecta est, dicam qua de caussa. Concedo equidem, Roscium parasitos agere potuisse: nam Palliata fere nulla erat sine iis. Has autem, non minus quam Tragoedias, egit Roscius: quippe verba:

Tibi ego, Antipho, has sero —

quae Roscius, tradente Cicerone [b], pronunciavit, profecto sunt e Palliata. Neque dubium est, quin Togatas idem egerit. Horatius quidem *Attae* fabulas a Roscio actas significat [c]; *Quintius* autem *Atta* Togatarum poeta fuit [d]. Atqui neque hoc fabularum Romanum magis, quam peregrinum, genus parasitis caruit. Afranius in Vopisco [e], quae est Togata,

— Equidem te nunquam mihi
Parasitum, verum amicum, aequalem, atque hospitem
Cotidianum, et lautum convivum domi.

atque in Geminâ Titinius [f]:

Parasitos amovi: lenonem aedibus his absterrui:
Desuevi ne quo ad coenam iret extra consilium meum.

et

b. De Orat. II. 59.

c. Sat. II. 1. 79. sqq.

d. Diomed. paullo infra. col. 488. pr. Puts.

e. Apud Nonium in v. *Aequales.* (IV. 4.) et in v. *Lautum* (IV. 280.)

f. Apud eund. in v. *Desuevi* (II. 199.) *His* in primo versu, quod a libris ed. et script. abest, fidenter reposui, metro postulante. Absorbtum e praecedente *ius.*

et rursus ibidem [g]:

Non exsecrat is parasitum, nec virum aspellit domo?

Denique et in Mimis, si modo hos egit Roscius, (quod vix puto) adeo solemnes erant parasiti, ut Festus dicat [h], *actorem secundarum partium fere omnibus mimis parasitum induci.*

Non igitur parasiti mentio eo nomine mihi videtur spuria, quod hanc personam Roscio per se non convenisse putem, sed scrupulum mihi injicit ipsius narrationis contextus. Quid enim primo sibi vult: *non satis decorus in personis nisi parasitus pronuntiabat?* Ecquid igitur parasiti partes magis decorum reddiderint? Est, qui ita exponat: parasiti nempe splendidiorem vestitum fuisse [i]: at is, qua auctoritate ipse viderit. — Sed, quod praecipue me male habet, ista est ratiocinatio: „*personis — uti coe-„ pit, quod oculis obversis erat, nec satis decorus „ in personis.*" Lepidum vero, aliquem, quo tegat os deforme, ideo prodire cum personâ, *quia in personâ non sit decorus!* Neve quis sic intelligat, *ne in personis quidem satis speciosum fuisse Roscium.* Nam-

g. Apud eund. in *Acc. Sing. pro Gen. Plur.* (IX. 1.)

h. In vocibus *Salva res est.*

i. Quadrio, *storia è rag. d'ogni Poes.* l. I. Dist. VI. Cap. 2. T. IV. p. 397. „Poichè essendo egli di guardatura losca, nò „ però facendo bel vedere in Teatro, se non quando rappre„ sentava qualche Parasito, stimò egli d'aversi ad ajutare con „ quell' ornamento per comparire più bello."

Namque hoc falsissimum: siquidem nullum ei, nisi oculorum perversitas, vitium. Cicero [l]: „ Q. Catulus — dilexit municipem tuum Roscium: in „ quem etiam illud est ejus:

„ *Constiteram, exorientem auroram forte salutans,*
„ *Cum subitò a laevâ Roscius exoritur.*
„ *Pace mihi liceat, coelestes, dicere vestra:*
„ *Mortalis visus pulcrior esse Deo.*

„ Huic, deo pulcrior. At erat, sicut hodie est, „ perversissimis oculis." Haec Cicero. Ergo, adsumtâ personâ, quae oculorum vitium celaret, satis utique erat decorus ille histrionum princeps.

Quid multa? equidem apud Diomedem, ejectâ, quae sensum turbat, voce, legendum puto: „ *nec satis* „ *decorus*, NISI PERSONATUS, *pronunciabat*." Iterum Cicero: „ Sed in ore sunt omnia. In eo autem „ ipso dominatus est omnis oculorum: quo melius „ nostri illi senes, qui *personatum*, ne Roscium „ quidem, magnopere laudabant". [m] Erroris caussa est in promtu. *In personis* glossema est vocis *personatus*. At vero *personatus*, librariorum illo compendio, *psonatus* scriptum, facile in *parasitus* mutari potuit. Multis librariis illud p fraudi fuit. Sosipater [n]: „ *Hoc videtur ad prosam convenire.*"

Ita

l. De Nat. Deor. I. 28.

m. Caussa scilicet, quia, quamvis bonus esset histrio, tamen oculos apparere necesse putarent, quod in iis omnis animi vis exprimatur.

n. Apud Rufin. de Metris c. 2719. Puts.

Ita recte nunc: nam agitur de metro Bacchiaco; sed editio Veneta 1476, folio, quam ad Putschianam contulit Bondamus, exhibebat: *ad personam convenire.* Et notatus frequenter eruditis hic error. [o] —

Neque tamen dissimulavero, virum omni nomine maxime mihi colendum, Lennepium, vulgatam tueri lectionem: „Ego", inquit, „locum Diome„dis recte sese habere puto, hoc sensu: *Vitium* „*oculorum Roscii in causa erat, cur in nullis* „*personis satis decore agere videretur, praeter-* „*quam in persona parasiti. Personae* proprie di„cuntur *larvae:* deinde *partes*, quas sub illis lar„vis agunt histriones. Priore significatu posuit „Diomedes initio loci, posteriore sub finem. In „parasiti personâ decore pronuntiabat Roscius etiam „sine larvâ. Sic enim ipsum illud oculorum vi„tium conferebat ridiculo, quo semper maxime „commendatur persona parasiti." Quam viri eruditissimi explicationem si refellere coner, vereor ne immodeste agam. Sed qua ipse est humanitate, mihi ignoscet. Ergo sententiam libere apponam. Primo oculi distorti non ridiculum, me judice, sed turpem actorem reddant necesse est; et sane Roscii hanc aliquam *deformitatem* fuisse ostendit Ciceronis locus laudatus, cum de *ridiculo* nusquam legamus.

o. Vid Bond. Var. Lect. I. 1. p. 11; cf. Scal. Conj. ad Varr. p 86. (T. II. p. 144. ed. Bip.)

mus. Dein quamvis dicatur *persona parasiti*, *Pamphili*, *haec persona*, *persona gravissima*; vereor ut locutio *in personis*, pro *in agendis scenicis personis*, vel *partibus*, ita absolute usquam usurpata reperiatur: maxime in numero plurali. Dixissent, puto, Romani hoc casu: *nec satis decorus* IN SCENA, *nisi parasitus pronunciabat*, ut Petronius [p]:

> *Grex agit* IN SCENA *mimum; pater ille vocatur;*
> *Filius hic; nomen divitis ille tenet.*
> *Mox, ubi ridendas inclusit pagina partes,*
> *Vera redit facies, dissimulata perit.*

Denique vix mihi persuadeo Diomedem, Grammaticum minime negligentem, adeo obscure locuturum fuisse, ut in unâ periodo τὸ *Personis* bis poneret, sed significatu adeo diverso: cum hanc obscuritatem effugere in promtu esset, positâ, verbi caussâ, priore loco voce *Larvis*, aut posteriore, *in agendis partibus*, *in scenâ*.

Ergo ne sic quidem, post Lennepii explicationem, lectio vulgata vitii expers esse mihi videtur: sed tamen eato ut quisque judicaverit. Ego hoc subjungo, soli fortasse Turnebo [q] eandem ac mihi, sive e Codicibus, seu de conjecturâ, lectionem menti obversatam fuisse, cum scriberet: „ cur, cum eas„ dem personas tractaret Roscius, non tamen capite

„ la-

p. Satyr. c. 8.
q. Adv. XXIX. 30.

„ raso erat? *Quia agere, nisi personatus, non so-*
„ *lebat*, propter depravationem oculorum".

Caeterum hic meae disputatiunculae finis erit, ut dicam, Roscium, qui ob proprium vitium privatim hoc sibi sumebat, imitatos videri in personarum usu, sed illo perpetuo, Tragoedos Minutium et Prostimum [r], Comoedos Cincium et Faliscum. Nam sic intelligo Donatum [s], qui ait *primos hos egisse personatos*, ne quis eum huic nostro loco adversari putet. Huc etiam, certe ad definiendum tempus adhibiti primum hujus ornamenti scenici, aliquo modo facit Festi locus, cujus recitatione haec disputatio claudetur [t]: „ *Personata* fabula quaedam Nae-
„ vii inscribitur, quam putant quidam primum [ac-
„ tam] a personatis histrionibus. Sed *cum post*
„ *multos annos comoedi et tragoedi personis uti*
„ *coeperunt*, verisimilius est, eam fabulam, propter
„ inopiam comoedorum, actam novam per Atellanos,
„ qui proprie vocantur personati. — ".

r. Aliae editiones *Prosthumum* habent.
s. In fragmento *de Comoedia et Tragoedia*.
t. In voce *Personata*.

CAPUT

CAPUT TERTIUM.

LUCILIUS.

Libri V. fragmentum.

Apud NONIUM v. *Minutim* (XI. 46.)

Lib. V. Fragm. 5. Dousae.

Profecto operam haud luserit, siquis eam Lucilio, quatenus superstes est, denuo impendere voluerit: nam verissime Baylius monuit [a], *post Dousae quoque labores illius fragmenta indigere ut ab alia manu plus lucis accipiant.* Quare si quid ego ad hunc scriptorem illustrandum conferre potero, id lubens omne praestabo: nunc vero ab unâ tantum conjecturâ periculum faciam. Quae alterum illud exemplum offeret, quod in principio horum Collectaneorum [b] adlaturum me promisi, confusae litterae *v* cum aliâ affini, et quidem syllabae *vis*, cum syllabâ simili *tus*,

a. *Lexic. Critic.* v. *Lucilius.* not. H. in fine: Cf. *Notitia Literaria de Lucilio*, in ed. Juven. Bip. p. LVII.

b. Vid. Caput I. p. 3.

tut, errore scilicet proxime ad vocum *vis* et *jus* permutationem accedente.

Legitur siquidem apud Nonium e Lucilii libro V. fragmentum, quod sic se habet:

Dic quam cogitat vis ire minutim
Per commissuras rimarum, noctis nigrore.

Quae lectio vera esse non potest. Idcirco et *cogitat*, quod metro obest, Junius et Mercerus dudum e Mstis mutarunt in *cogat*: recte. Ita quoque Codd. Parisini B et C: item Gud. et Voss. a Bondamo collati. Sed neque *ire per rimarum commissuras* ferendum: quod potest cogitari de minutissimo animalculo, non item de homine. At quorsum igitur *noctis nigrore*, nisi de homine fiat sermo? Tum *ire minutim* quid sit, vix capias. Hinc Joannes Meursius [c] legi voluit, una voce: *cogat visire minutim*: quam vocem qui non intelligit, is per me licet explicatam videat apud Jos. Scaligerum in Catullum [d]. *Acute* emendatum censet Dousa. Ego quidem non dicam, sicut olim Gulielmus [e], de alio vocabulo agens: „Qui illud fragmentum in rem „obscaenam trahunt, obscaeni sunt ipsi", quod nequaquam verum esse arbitror, cum plurima et obscaene et spurcissime a Lucilio quoque ipso dicta sciam.

c. Apud Dous. ad h. Lucil locum. (p. 118

d. Ad illud, Epigr. LIV. *Subtile ac leve peditum Libonis* not. p. 38. ed. Antv. 1582.

e. Plaut. Quaest. in Merc. c. 3. p. 216.

sciam [f]. Sed tamen quicumque vocem non frequentissime obviam intelliget, is mecum sentiet quam sit scitum hoc commentum: *Visere per commissuras rimarum!*

At vero melioris, (quod fere pignore posito contenderim, alias ipse mihi diffidens) emendationis ansam praebent Msta Parisina. Primo quidem Codex C habet: *cogitat ire*; sed emendate Codex B *cogat tusire* [g]: et *tus ire* postea etiam deprehendi notatum a Bondamo ex Codice Anonymi Oudendorpiani. Totum vero Nonii lemma cum exemplo deest in illius Codice Dorvilliano et Palatino. Item exemplum, ut passim, in Parisino A.

Itaque dubium non videtur, quin sit legendum *tussire*, hoc pacto:

— Dic quasi cogat tussire minutim
Per commissuras rimarum, noctis nigrore?

Agique videtur de adultero viro aut uxore. Tussis illa minuta *sine dubio* intelligenda quasi signum, de quo inter adulteros convenerit. Simile signum Cydippe narrat sibi a nutrice dari, quando quis sibi scribenti ad Acontium superveniret [h]:

Mox

f. Vid. v. g. fragmentum apud Festum v. *Bubinare*.

g. E collatione utriusque lectionis patet, unde sit *orta* vox *cogitat* pro *cogat*. Pro *nigrore* vero Paris. B. *nigrore*: [illegible] et Anon. Oudend.

h. Ovid. Her. XXI. 24.

Mox ubi —

— Venire videt, quos non admittere durum est
Execreat, et fictâ dat mihi signa notâ.

Nec rimarum commissurae hac in re ignotae ut in Pyrami et Thisbes amoribus:

Fissus erat tenui rimâ, quam duxerat olim,
Cum fieret, paries domui communis utrique.
Id vitium, nulli per saecula longa notatum,
(Quid non sentit amor?) primi sensistis, amantes,
Et voci fecistis iter: tutaeque per illud
Murmure blanditiae minimo transire solebant.

Et praeterea habemus ex eodem libro tria alia fragmenta ad adulterium spectantia: primum apud Priscianum [i]:

— Hic solus vigilavit, opinor,
Et cum id mi visus facere est, tum retia nexit.

Alterum apud Horatii interpretem [l]:

—— Et cruribus crura
Dilatat ——

quo idem significat Lucilius, sed minus honeste, atque Horatius, cum ait:

Haec ubi supposuit dextro corpus mihi laevum.

Tertium denique apud Nonium ubi vocem *Lupari* explicat [m]:

Et

i. Libro IX. c. 861. et X. c. 903. Putsch.
l. Porphyr. in Sat. I. 2. 125.
m. II. 497.

— — Et divos iure precemur
Consilium, fas si placeant, tunc impune superbi.

Quod quamvis, ut corruptissimum, ego maximam partem in medio relinquam, tamen cum Scaligero [n] utique in fine legendum censeo *impune lupersi*, quandoquidem ad confirmandam hujus vocabuli *lupari* significationem a Nonio adfertur.

Quare, collaris quatuor his fragmentis, apparet de adulterio in hoc libro actum, et fortasse mutuam inter conjuges ejus rei exprobrationem relatam fuisse. Verum cum ex antiquorum auctorum testimoniis sciamus, in eodem libro poëtam alterius etiam generis res attigisse. conquestum scilicet cum amico *quod ad se aegrotum non viseret* [o]: tum et rusticam coenam, e qua fercula multa enumeraverit, derisisse [p]; hinc fortasse dicendum, Lucilium unum alterumve horum argumentorum non nisi obiter tractavisse, quippe quae divagatio profecto a satyrae natura non aliena sit censenda.

n. Apud Dous. ad h. fr. p. 118.
o. Vid. Gell. XVIII. 8.
p. Apud Charis. lib. I. col. 77. Putsch.

CAPUT QUARTUM.

JOHANNES LAURENTIUS LYDUS

De Magistratibus Romanis.

PROOEMIUM.

Quamvis magna laus sit eorum, qui jam olim editos auctores veteres novis editionibus vel emendatiores nobis exhibent, vel diligenti rerum et verborum explicatione illustrant; haud scio tamen, an huic litterarum disciplinae magis etiam prosint illi, qui primi nondum editos auctores publici juris faciunt, cum per hos potissimum cognitionis humanae fines extendantur, eique novi adsignentur agri, in quibus felix industria se exerceat. Nec proinde iis, qui incognita faciunt ut noscantur, vitio vertendum puto, si utcumque possint operam hanc praestent litteratis, iisque incultum adeo tradant agrum. Dicam clarius: ipse labor Codicum antiquorum scripturam evanidam legendi, inque probabilem aliquem sensum redigendi, solus primum editorem satis exercitum habet: nec proinde ab eo requirendum, ut

ut primâ statim illâ tractatione nunquam antea editum auctorem ita nobis repraesentet, ut nihil omnino ad ejus illustrationem desideremus. Nempe si quis contextum sanum ob oculos ponere non contentus, in explanatione bene longâ otium consumere velit, hoc saepe inde oritur incommodum, ut, aut justo diutius, aut adeo ad Kalendas usque Graecas, ipse edendus liber prematur. Quin prodeat auctor emendate: sin minus, certe fideliter ad codicum scripturam expressus. Erunt deinceps, qui in inculto hoc solo elaborando desudent, qui ad explicationem aut ipsius, aut ex ipso, aliorum scriptorum, operae aliquid et impendii conferant.

Haec quo pertineant, dicam. Nostra enim aetas in hoc genere non fuit omnino infelix, quippe quae complures veterum libros oblivioni nuper eripi vidit. In Ciceronis trium orationum, pro *Scauro*, pro *Tullio*, et pro *Vareno*, partes adhuc ineditas, cum inedito item ad primam illarum scholiaste, e Mediolanensi Msto recens invento, edidit Aug. Majus [a]. Auxerunt insuper auctorum veterum Catalogum tres Graecorum auctorum, *Trichae*, *Eliae Monachi* et *Herodiani*, de Metris Tractatus a Francisco de Furia editi [b] et fragmentum Carminis *de bello Actiaco*, quod e volumine Herculanensi vulgavit J. F. Kreysius.

a. Francofurti ad Moenum 1815. 8vo maj.
b. Ibid. 1814. 8vo maj. Etiam sub titulo *Appendicis ad Draconem Stratonicensem.*

ajus [c]. Insuper, nisi me fallit memoria, ex eodem volumine nuper prodiit Epicurei cujusdam tractatus de Amicitia [d].

Ita quoque, sed jam aliquanto prius, anno 1784, opera *Johannis Laurentii Lydi Philadelpheni*, quorum non nisi fragmenta erant nota, in Codice satis integro perscripta, invenit in Turcia Villoisonus, eademque, illo indicante, nobilissimus *de Choiseul-Gouffier*, Regis Galliae ibidem legatus, a domino Codicis rogavit et dono impetravit. Continebat scilicet is Codex Lydi tractatum *de Magistratibus Romanis*, fragmenta libri *de Mensibus*, et librum *de Ostentis*; omnia, praeter quaedam fragmenta *de Mensibus*, inedita.

Natus est *Lydus* Philadelphiae, in Asiâ Proconsulari, Fl. Longino, Fl. Fausto Juniore Coss., anno a C. N. 490 et obiit prope octogenarius. Ejus vero omnia scripta quae quidem aetatem tulerunt, Justiniano imperante videntur prodiisse [e]. Et quamvis

c. Lips. 1814. 8vo. majori.

d. De *Phaedri* novis *fabulis*, quae jam ante triennium, ni fallor, editae, et nunc (Norinbergae 1815, 12mo) recusae sunt, loqui sciens omitto, quia hae a viris doctis spuriae judicantur.

e. Vid. scriptores quos recensent Vossius, *de Hist. Lat.* II. 22 p. m. 270. ed. 4to; et Fabric. *Bibl. Graec. multis locis*, *praecipue* III. 20. 10. et V. 38. (T. II. p. 512) et T. IX. p. 436. ed. Hamb. 1708.) et instar omnium, Hasium *in Praefatione ad Lydum*. §. 2. et 3.

vis bonitate hic auctor fortasse non sit comparandus ad quosdam illorum, quos nostro saeculo inventos esse dixi, tamen ejus notae est, ut, qui vetustioris et omnino male habiti Codicis extricandi, cumque omnibus communicandi laborem in se suscipere vellet, magnum ille in litteras beneficium collaturus videretur. Hoc igitur Villoisonum movit, ut ex illo Codice opus *de Magistratibus Romanis* sibi sumeret edendum. Sed vir clarissimus rem principio, aliorum negotiorum curâ, distulit: mox, ingruentibus civilibus Galliae motibus impeditus, et tandem morte interceptus, plane intactam reliquit. Quare hanc provinciam illustris Codicis dominus *de Choiseul-Gouffier* eruditissimo litteratori, cujus frequens honoris caussa mihi mentio est facienda, Hasio detulit. Is laborem cum altero viro docto, Joanne Dominico Fussio, ita partitus est, ut eum, communi operâ, contextum ad probabilem quandam lectionem constituissent, hic Latine interpretandi, et subinde illustrandi libri, ille autem praefandi, et in auctoris vitam historiamque, quam vocant, litterariam inquirendi officio fungeretur. Anno itaque 1812 exspectatus diu a viris doctis liber, cum summo eorundem favore in vulgus exiit, ita ut nunc rel qua, quae doctissimus Hasius edenda recepit, avidius etiam exspectentur.

Jam vero hujus libri recens editi, *de Magistratibus*, loca quaedam attentius legens nonnulla notavi, quae ad eorundem intellectum facere posse arbitrarer, eademque cum eruditissimo viro *Hasio* communi-

 ca-

cavi. Quae cum illi luce publica non plane indigna visa essent, eadem deditâ operâ retractavi, pluribusque explanavi, nunc vero denique] in lucem profero, sperans fore, ut levi hac opellâ doctiores viros ad legendum latiusque explicandum hunc auctorem, in patriâ nostrâ non nimis adhuc notum, alliciam: eos autem, quibus jam innotuit, aliquid fortasse ad eum intelligendum afferam subsidii.

Locus quem inprimis mihi tractandum sumsi, exstat libro primo §. 40 sqq. sed altius, jam inde a §. 38, res erit repetenda.

SECTIO PRIMA,

Lydi Lib. I. §. 38.

Auctoris igitur consilium est *de magistratibus Romanorum civilibus et militaribus* exponere. Nam *de sacerdotali ordine* se jam ante, in libro *de Mensibus*, egisse, ipse, in hujus operis Prooemio suo refert. Ergo de reliquorum, quos ante dixi, muneribus et insignibus, eo tenore tractat, ut praecipuas Regni, Reipublicae, et Imperii vicissitudines, ordine persequatur. Tum, ut subinde, datâ occasione, historias ritusve, ex antiquitate petitos, suo tempore ut plurimum obsoletos, et saepe ignotos, illi operis filo adtexat.

Sic

Sic cum §. 36, 37 et 38 de Dictatore egisset, eadem mox §. 38 Tribunos Plebis, Aediles, Praetores, pluresque attingit Magistratus. Deinceps ait: Ἐπὶ δὲ τοῦ τρίτου καὶ ἑξηκοστοῦ καὶ διακοσιοστοῦ ἐνιαυτοῦ Πραίτωρ ἕτερος προεχειρίσθη, — additque mox τῷ ἐνενηκοστῷ τῶν ὑπάτων ἐνιαυτῷ, Hannibale Italiam vastante, *Prodictatorem et Magistrum Equitum vicarium fuisse creatos.* Quod sane, (ut primâ fronte accipiendus videtur locus), *nonagesimo* a creatis consulibus anno factum fuisse, verum non est. Sed neque opus tamen, ut, cum doctissimo annotationis et versionis auctore Fussio, putemus *aliquid excidisse.* Eo enim, quo indicavimus, ordine, lecto hoc loco, videbit unusquisque illud ἐνενηκοστῷ jungendum cum numero annorum, quem paulo ante expresserat in voce διακοσιοστοῦ: ita ut hoc voluerit, Prodictatorem illum fuisse creatum *ducentis et nonaginta* annis post creatos primum consules.

Quod verum. Nam si Simsoni [a] rationem sequaris, Consules anno U. C. 245, Prodictator autem (*Dictatorem* Simsonus vocat, sed aliter Livius [b]) anno 337, id est, ex hac computatione, post illos annis *ducentis et nonaginta duobus* creatus fuit. Ergo, potius quam *excidisse aliquid*, ego aut temere adjectum, aut loco suo motum pronunciaverim illud τῶν ὑπάτων, quod hic sane e Glossemate or-

a. In Chron.

b. L. XXII. c. 8, et 31.

ortum videtur. Nam melius additum fuisset aliquot versibus supra, ubi ergo fortasse legendum: Ἐπὶ δὲ τοῦ τριτοῦ καὶ ἑξηκοστοῦ καὶ διακοσιοστοῦ τῶν ὑπάτων ἐνιαυτοῦ πραίτωρ ἕτερος προεχειρίσθη: sic recte consequetur nostrum „ Τῷ δὲ ἐννενηκοστῷ ἐνιαυτῷ — „ ἱππάρχης τε καὶ ἀνθιππάρχης προεχειρίσθησαν."

SECTIO SECUNDA.

Lydi Lib. I. §. 40.

§. 1.

Livius Andronicus.

Quibus animadversis, quippe quae necessaria erant ad sequentium verborum intellectum, ne quem temporis ratio turbaret, progredimur ad locum insignem *de Re Scenica Romanorum*. Scilicet agens Lydus de Hannibalis, adeoque de belli Punici secundi tempore, interjectis quibusdam de Censura [a], sic pergit [b]: „ Τότε Τίνιος, Ῥωμαῖος κωμικὸς, μῦθον ἐπεδείξατο ἐν τῇ Ῥώμῃ. κ. τ. λ.

TI-

a. §. 39.
b. § 40.

-TINIUS, Romanus comicus, ignotus est: idque recte vidit editor Fussius. Is autem quod addit: „Forte legendum esse *Τιτίνιος*; licere enim „Lydo errorem tribuere;" ut id facile etiam ipse concedam, ita hoc non video, utrum ille errorem Lydi dixerit, in pravâ nominis scripturâ, an vero in *Titinii* (qui, tametsi incertum est quo tempore vixerit, tamen neque primus, neque solus nominandus erat,) aetate ponenda. Quorum illud si voluerit, leve est, et potius librario, qui pro *Titinio*, *Tinium* male scripserit, quam ipsi Lydo tribuendum; hoc vero, ut nempe temporis rationem non tenuerit auctor, hic quidem loci verisimile mihi non videtur. Meo judicio error quidem intervenit hic librarii, sed non ille, quem modo indicabam. Si quid video, legendum pro Τίνιος non Τιτίνιος, sed Λίβιος, ut LIVIUS significetur ANDRONICUS. Quare vero sic conjiciam, dicendum est. Illud praemitto, quamvis forte satis notum, Graecis hoc esse usitatum, ut pro *LiVius* aeque Λίβιος dicant, ac Λιούϊος [c]: qua ratione etiam ipse Lydus *Varronis* nomen modo quidem effert Ὀυάῤῥων [d], modo vero, et saepius, Βάῤῥων [e]: tum et B usurpat idem

c. Vid. inter alios Mekerchum, *de Ling. Graec. Pron.* p. 56, in Haverkampii Sylloge, T. I. et auctores citatos ab *Anastasio Georgaade*, περὶ τῆς τῶν Ἑλλ. στοιχείων ἐκφωνήσεως. §. 17. not. 3. p. 42. De quo libro nos, *capite decimo*, datâ opera agemus.

d. Prooem. p. 2.

e. L. I. §. 5, et 12; l. II. §. 13.

idem in *Juvenalis* nomine, quem Ἰουβενάλιον appellat [f], et sic passim. Quod autem ad erroris caussam attinet, videtur ea quaerenda in praecedenti voce *Τότε*: in qua cum duplex occurrat T, inde factum, quod sexcenties in codicibus scriptis, ut librarius vocem quoque quae sequebatur, a T inchoaret.

Denique, quod caput est, locus hic, si *Livium* reponas, omnino congruit. Quemadmodum universe cum veterum testimoniis, sic praecipue cum Gellio, unde sua habere videtur Lydus. Nam et hic patere credo, et aliis in locis deinceps saepe observabitur, Lydum e Philologis maxime et Grammaticis sapere [g]: quorum hos quidem interdum nominat, ut *Varronem*, *Aemiliani* Commentarium in Sallustii historias, *Diogenianum* Lexographum, (ita) *Asperum*; saepius vero, ut hic, reticet. Gellius igitur ita [h]: „Annis deinde postea paullo pluribus quam „viginti, pace cum Poenis factâ, Consulibus „Claudio Centone, Appii Caeci filio, et M. Sem„pronio Tuditano, *primus omnium L. Livius poëta fabulas docere Romae coepit.*" Vides ad verbum fere convenire Gellium cum Lydo. Propius etiam accedit Cicero [i], unde ipse Gellius sua videtur mutua-

f. L. I. §. 41.

g. Ita locus Lydi l. III. §. 63, de Elope pisce, tractus partim e Plinii *Hist. Natur.* IX. 17; partim e Macrobii *Saturn.* II. 12.

h. L. XVII. cap. 21.

i. In Bruto. c. 18.

natus: „ Atque hic Livius, qui *primus fabulam*, „ C. Clodio Caeci filio, et M. Tuditano consuli„ bus, *docuit*, cet." Propius, inquam: quippe Lydus μῦθον ait, ut Cicero *fabulam;* non, ut Gellius *fabulas*, μύθους. Sed tamen e Gellio, magis quam e Cicerone, sua hausisse Lydum, indicio est quod Gellio ipsi negotium fuit [l]: „ e libris ex„ cerpere quibus temporibus floruissent Graeci simul „ atque Romani viri, qui *vel ingenio, vel imperio* „ nobiles insignesque fuissent." Cum contra Ciceroni, non fere nisi viros *ingenio* illustres persequi, propositum fuerit. Ita ut, cum Gellius in istis suis excerptis magistratuum etiam Romanorum, Tribunitiae potestatis et Aedilitatis [m], mox autem [n] censurae originem memoraverit, deinde de Livio Andronico quaedam adjecerit, valde mihi fiat verisimile, operis hujus *de Magistratibus* filum et rationem mecum reputanti, Lydum totum hoc Gellii caput compilasse, atque inde, datâ occasione, de Livio quoque Andronico quaedam in opus suum transferenda censuisse. Ergo si haec e Gellio desumta sunt, vel sola haec observatio efficiat, legendum esse Λίβιος.

Neque vero quemquam moveat quod cum Cicero-

l. Vid. Gell. dicto l. princip.
m. P. m. 410. ed. Conr.
n. P. 415.

roni [o], tum Gellio, tum aliis [p], Livius Andronicus universe dicatur *fabulam primus docuisse*, (*vel dedisse*), ita ut refugere quasi, omnes vel *Tragoediae* vel *Comoediae* nomen proprium videantur; tamen apud nostrum adeo diserte et quasi eximie dicatur, *Comicus Romanus*. Nam quamvis praecipue *Tragoedias* docuerit Livius, a Comoediis tamen etiam laudatur; sed, quod mireris, apud Grammaticos solum, non item apud alios Scriptores. Donatus ita [q]: „ Comoediam apud Graecos dubium est quis invenerit primus: apud Latinos certum est. Comoediam Togatam primo *Livius Andronicus* reperit." Diomedes [r]: „ Ab his Menandro et Philemone Romani fabulas transtulerunt et constat apud illos primo, Latino Sermone Comoediam *Livium Andronicum* scripsisse." Cassiodorus [s]: „ His Consulibus [C. Mamillo et Q. Valerio] ludis Romanis primum Tragoedia et Comoedia, a *L. Livio* ad scenam data." — Acron: „ *Livius Andronicus* antiquissimus poëta primus Comoedias scripsit [t]." Tum fragmenta Comoediarum, quae quidem Livio ad-

o. L. c.; item Tusc. I. 1; Cat. Maj. c. 14.

p. Ut Servio ad Aen. X. 636; et auctori incerto *de Trag. et Com.*, sub finem.

q. *De Tragoed. et Com.*

r. Lib. III. col. 486 Putsch.

s. In Chronico.

t. Qua loca et alia complura conjuncta videbis in Testimoniis de Livio Andronico in Scriver. Collect. Vat. Tragic.

adtribuuntur apud unum, quod sciam, Festum, occurrunt, nimirum e *Gladiolo*, [w] *Lydio* [x] et *Virgine*. [y]

Quidquid igitur sub hoc classicorum scriptorum et Grammaticorum dissensu lateat, quod fortasse olim investigabimus, id omnino jam nunc adfirmari posse nobis videtur, et, hoc quem tractamus loco, *Livium* pro *Tinie* legendum, et dici eum potuisse *Romanum Comicum*, et hoc nomen e Grammaticis esse petitum. Quare his non amplius immorabimur.

§. 2.

Fabula Crepidata et Praetextata.

Lydus porro, factâ Comoediae mentione, occasionem arripuit quaedam de illius apud Romanos origine, fatis, generibus, ipsius aevo minus jam in vulgus cognita, prodendi. Quare in eâdem paragrapho sic pergit:

Ὁ δὲ μῦθος, τέμνεται εἰς δύο, εἰς Κρηπιδάταν, καὶ Πραιτεξτάταν· ὧν ἡ μὲν Κρηπιδάτα Ἑλληνικὰς ἔχει ὑποθέσεις, ἡ δὲ Πραιτεξτάτα Ῥωμαϊκάς. Ἡ μέντοι Κωμῳδία τέμνεται εἰς ἑπτὰ, εἰς Παλιάταν, (sic editur: mox *παλλι* —) *Τογάταν, Ἀτελλάνην, Ταβερ-*

w. Fest. in v. *Pedibus obaltam.*
x. Id. v. *Scenam.*
y. Id. v. *Nobilem.*

βερναρίαν, Ῥινθωνικὴν, Πλανιπεδαρίαν, καὶ Μιμικήν· καὶ Παλλιάτα μὲν ἐστὶν ἡ Ἑλληνικὴν ὑπόθεσιν ἔχουσα κωμῳδία, Τογάτα δὲ ἡ Ῥωμαικὴν, ἀρχαίαν· Ἀτελλάνη δὲ ἐστιν ἡ τῶν λεγομένων Ἐξοδιαρίων· Ταβερναρία δὲ ἡ σκηνωτὴ, ἡ θεατρικὴ κωμῳδία· Ῥινθωνικὴ ἡ ἐξωτική· Πλανιπεδαρία ἡ Καταστολαρία· Μιμικὴ, ἡ νῦν δῆθεν μόνη σωζομένη, τεχνικὸν μὲν ἔχουσα οὐδὲν, λόγῳ μόνον τὸ πλῆθος ἐπάγουσα γέλωτι.

Quae jam nunc, quandoquidem eorum partim minus sunt ad intellectum aperta, hic illic tractemus et explanemus.

Id primo quidem obvium est, loqui Lydum de Comoediâ Romanâ, tanquam de re, suo tempore non amplius nisi per vetustam traditionem notâ. Ergo si, etiam postquam hunc locum supplevero ac illustraro, restabit in Lydo aliqua rerum et verborum confusio, et generum formarumque minus fortasse accurata distinctio et definitio; tribuendum id omne erit illi antiquitatis ignorantiae. Quae tamen non ejusmodi est, ut Lydo vitio vertenda sit. Nam eosdem, aut similes certe, errores etiam ab aliis, tum antiquioribus, tum harum peritioribus viris, quippe Grammaticis, commissos videas. Et sane, scenica poesis ejusmodi quaedam est, ut vel a doctis et prudentibus harum rerum arbitris, quique ipsi per fabulas spectare potuerint, satis difficulter in genera distribuatur: adeo inter se omnia sunt similia, et, quod de omnibus artibus ait Cicero, communi societatis vinculo tenentur. Ut sane mi-

tum non sit, si quis ex antiquis scriptis eruere ista velit ipse non oculatus testis, eum saepe labi. Quod utinam aliter habuisset! paullo accuratiora essent, quae de Comoedia Grammatici referunt. Qua de re etiam conqueri viros doctos video[a], atque cuinam veterum aliquid tribuant, quemve potissimum ducem sequantur, incertos dubitare. Sed tamen credo his Grammaticorum locis, vel potius locorum fragmentis; (qualia sunt ut plurimum,) quae de fabularum apud Romanos generibus et diversa natura docent, non parum ad mutuam illustrationem subsidii hodie ex Lydo accessisse. Quo enim plures navis fractae tabulas servare potueris, eo facilius, si non ipsam navem de novo construxeris, at certe qualis fuerit, quove modo constructa, ostenderis. Ad hanc autem operam praestandam age et nos quantulumcumque, speciminis loco, symbolam adferamus. Sed prius id quod diximus, Lydum de re suo jam tempore obsoleta adeoque sibi ignota tradere, id verbo adsertum eamus. Ac de ipsius quidem tempore res est expedita, quippe qui, de Comoedia Mimica exponens, diserte dicat: Μιμική, ἡ νῦν δῆθεν μόνη σωζομένη. Ad antiquiores vero Grammaticos quod attinet, tenendum, eversa Rep. Romana, primoque Imperii saeculo, comoediam omnem ad Mimicum genus sensim deflecti coeptam esse, ita ut altero jam a Christo nato saeculo, me-dio

a. Ut Dacer. ad Fest. v. Togata.

illo fere, Marcus Antoninus Philosophus testatus sit, suo tempore novam Comoediam ad Mimicam solam artem recidisse. „Καὶ λοιπὸν, inquit [b], ἡ νέα (Κωμῳδία) — ἡ κατ' ὀλίγον ἐπὶ τὴν ἐκμιμήσεως φιλοτεχνίαν ὑπερρύη". (Sic enim cum Gatakero legendum). Quid, quod Mimica haec Comoedia, sola omnium, per omnes Imperii Romani et sequentium saeculorum vicissitudines propagata, Italicae, quae hodieque viget, Comoediae originem dedit: judice etiam Salmasio, qui [c]: „ Mimos, inquit, in locum Comoediae successisse, scribit Marcus Philosophus Imperator in libris de vita. Et sane, quas hodie agunt et vocant Itali Comoedias, mimi sunt, et planipedes verius, quam Comoediae: personas tantum habent ex Comoedia. — Postquam tota res ad Mimos rediit, quae Comoediae erant propriae pedestri sermone componuntur, ut Sophronis mimi. At quos in exitu Tragoediarum reponunt Gallici histriones, et *Farcias* appellant, puri puti sunt mimi [d]".

Quod si tenebimus, ea in Lydo feremus quae aliqui

b. De Reb. suis. l. XI. §. 6.

c. In Solin. p. 77.

d. Adde *Zieglerum, de Mimis Romanorum* (Gött. 1788. 8vo.) Et latius rem tractarunt Itali, *Riccoboni*, Archimimus et ipse, *Histoire du théâtre Italien* (Paris 1731. 8vo.) praecip. cap. 3, et, qui eum exscripsit, sed majori cum judicio haec exposuit, Jesuita *Fr. Saver. Quadrio. Storia e ragione d'ogni Poesia* l. II. Dist. III. Cap. II. Part. 3, et Cap III. part. I. (T. V. p. 198, sqq.)

qui perinepta esse videantur. Nam alia sunt, praecipue in explicatione formarum Comoediae singularum, quae inscitiam ejus arguant; alia vero, nisi fallor, tantum lacera et corrupta. Nunc ad rem.

Equidem Lydum sua contexuisse puto e Donati fragmento de Tragoedia et Comoedia et Commentario ad Terentii Adelphos *: posse vero alterum ex altero suppleri. Ille igitur Donatus, dicto fragmento, sic ait: „ *Fabula* generale nomen est: ejus duae „ primae partes sunt *Tragoedia* et *Comoedia*. Si „ Latina argumentatio sit; *praetextata* dicitur. „ *Comoedia* autem multas species habet. Aut enim „ *Palliata* est, aut *Togata*, aut *Tabernaria*, aut „ *Attellana*, aut *Mimus* aut *Rhinthonica*, aut „ *Planipedia*". Exinde Donatus has Comoediae species singulas exponit: ita tamen, ut *Tabernariam* tantum obiter tractet, *Mimum* et *Rhinthonicam* praetereat. Cum his Lydi ista conferentes, primum de ejus mutilatione videamus. Equidem persuadeo mihi, sic supplendum e Donato Lydum: Ὁ δὲ μῦθος τέμνεται εἰς δύο· εἰς Τραγῳδίαν καὶ Κωμῳδίαν. Καὶ ἡ μὲν Τραγῳδία εἰς Κρηπιδάταν καὶ Πραιτεξτάταν· ὧν ἡ μὲν Κρηπιδάτα Ἑλληνικὰς ἔχει ὑποθέσεις, ἡ δὲ Πραιτεξτάτα Ῥωμαϊκάς. Ἡ μέντοι Κωμῳδία τέμνεται εἰς ἑπτά· εἰς Παλλιάταν, κ. τ. λ. Puto sic non utique ineptam fabulae divisionem in genera et formas constitui. Jam vicissim periculum faciamus e Lydo supplendi Donatum. „ Fabula ge-

* Prol. v. 7.

„ generale nomen est: ejus duae primae partes sunt „ Tragoedia et Comoedia. *Tragoedia, si Graeca „ argumentatio, Crepidata*, si Latina argumentatio sit, Praetextata dicitur: Comoedia autem, „ caet". Erroris quidem in utroque scriptore manifestae indagari possunt caussae, altera nomen minus obvium *Crepidatae*, altera et praecipua, librarii incuria, qui in illis divisionibus haud satis diligens membra quaedam praeterierit.

Verum qua auctoritate ego *Crepidatae* nomen non modo in Donati locum intrudam, sed et audacter *Tragoediae speciem* esse ponam, id jure quis a me quaerat. Quare de hoc nomine dicendum est. *Crepidata* quaenam fuerit fabula ad hunc usque diem et alios, et me latuit. Occurrit apud solum Donatum altero illo, quem dixi, loco, Commentario ad Adelphos. „Ut apud Graecos, inquit ille, δρᾶμα, „ sic apud Latinos generaliter *fabula* dicitur: cujus „ species sunt *Tragoedia, Comoedia, Togata, Tabernaria, Praetexta*, CREPIDATA, *Attellana, μιμος, Rhinthonica*". Et Gyraldus quidem, hunc locum referens conjecit *: „ apud Donatum aut „ *Graecas* intelligendas fabulas, quod crepidae, ut „ pallia, Grajorum sint; aut *fabularum quoddam „ genus in quo crepidis magis uterentur*", quare et deinceps, de scenico apparatu dicens † adjicit: „ in

* Opp. T. II. p. 328. E.
† P. 337. B.

„ in aliquibus etiam fabulis crepidis utebantur, quae „ *crepidatae* dictae sunt, ut ante relatum est". Harum conjecturarum prior G^to quoque Cupero probata [f], qui credit „ *Crepidatarum nomen a nonnullis inditum fuisse fabulis Palliatis*, maxime „ cum Donatus priore loco, [*de Trag. et Com.*] „ recensens fabularum genera, ponat *palliatas*, „ omissis *crepidatis*, et posteriore [*commentario* „ *ad Adelphos*] *crepidatarum* mentionem injiciat, „ silentio praeteriens *palliatas*". At ego censeo *crepidatas* esse nomen quod Romani dabant *Tragoediis Graecis*, vernacule conversis, aut certe Graeci argumenti, quomodo *Comoedias* ejusmodi vocabant *Palliatas*: *Mimos* vero, ut deinceps videbimus, *Ricinatos*. Namque amabant illi res origine Graecas, ad se delatas, Romano nomine insignire: sic Ennius versus Hexametros dixit *versus longos*, teste Atilio Fortunatiano [g]: sic, referente Asconio Pediano [h], senarium hypercatalecticum Romani *Saturnium* appellarunt. Nec dubito, quin Gyraldus et Cuperus in hanc suspicionem incidissent, si Lydum editum habere ipsis contigisset.

Nam meae quidem sententiae *primum* argumentum est utriusque loci contextus, qui postulare videtur, ut utrumque *fabulae* genus, *Tragoedia* et *Comoedia*, in species suas aeque distribuatur: tum ordo, quo

f. Obss. 1. I. p. 66. sq.

g. In Gramm. Puts. c. 2690.

h. Ad Cic. Verr. I. c. 10. (p. m. 55. ed. L. B. 1675. 12.)

quo apud Lydum legitur *Crepidatae* nomen, scilicet ante *Comoediae species* positum. Accedit *altera* caussa oppositio illa *crepidatarum* et *praetextatarum*, quarum Lydus illas Graeci, has Romani argumenti esse docet. Atque *praetextatas* fabulas et ipsas esse *Tragoedias*, argumento tantum, quod e Romanâ historiâ peteretur, a Graecis Latine conversis differentes, significat Diomedes Grammaticus, cum ait: „ Prima species est Togatarum, quae „ *Praetextatae* dicuntur, in quibus Imperatorum „ negotia agebantur, et publica, et reges Romani „ vel duces inducuntur, personarum dignitate et „ argumentorum sublimitate Tragoediis similis". Quodetsi Dacerius alicubi [i] neget Praetextatas *veras fuisse Tragoedias*, quid de ejus sententia faciam nescio, qui idem non multo ante [l] affirmaverit. Certe hoc concedet ille, proxime eas ad Tragoedias accessisse. — Sed *tertium* porro opinioni meae argumentum peto ab ordine, quo Donatus, ad Adelphos, species illas recenset, *Tragoediam* et *Comoediam* jungens; dein *Togatam* et *Tabernariam*; mox *Praetextatam*, et *Crepidatam*. Hoc autem leve fortasse. At grave est profecto argumentum quod *quarto* loco ponam, crepidarum usum a Sophocle inventum fuisse. Auctor ejus vitae [m]: φησὶ δὲ καὶ

"Ιστρος

i. Ad Fest. v. *Togatarum*.

l. Ibid v. *Praetextas*.

m. p. XXII. ed. Schaef. 8vo.

πρὸς τὰς λευκὰς κρηπῖδας αὐτὸν ἐξευρηκέναι, ἃς ὑποδοῦνται οἵ τε ὑποκριταὶ, καὶ οἱ χορευταί. Ubi *οἱ ὑποκριταὶ* videntur intelligendi *actores Tragici*: nam sic et Isidorus [n] cothurnos, quibus hi calceabantur, vocat *calceamentum in modum crepidarum, quo heroes utebantur*.

Quae ego duo loca satis esse firmum opinioni meae argumentum putarem, etiamsi reliqua non concurrerent. At vero *postremo* illud accedit, quod subjunxit auctor vitae Sophoclis non solum *actores*, sed et *saltatores*, *crepidis* usos fuisse. Nam hi saltatores, nisi me omnia fallunt, sunt *Hilarodi*, quorum ita decens erat et gravis saltatio, ut ab Aristoxeno cum *Tragoedia* comparata sit, sicut *Magodia* cum Comoedia. Refert Athenaeus [o]: *Φησὶ δὲ ὁ Ἀριστόξενος, τὴν μὲν ἱλαρῳδίαν, σεμνὴν οὖσαν, παρὰ τὴν Τραγῳδίαν εἶναι, τὴν δὲ μαγῳδίαν, παρὰ τὴν Κωμῳδίαν.* Quod intelligendum est, ut rectissime, repudiatis aliorum commentis, vertit Schweighaeuserus, *Hilarodiam, cum sit gravior, esse imitationem Tragoediae, Magodiam vero Comoediae.* Unde obiter moneo, neque levem virorum doctissimorum Salmasii [p], Vossii [q], aliorum esse errorem, qui *Hilarodiam* confuderint cum *Hilarotragoedia*, et cum *Mi-*

n. Etymol. l. XIX. c. 34.
o. l. XIV. c. 4. p. 620. C.
p. In Solin. p. 76. et ad Suet. Tib. 45.
q. Instit. Poet. l. II. p. 107.

Mimicis dramatibus. Namque, ut recte postea docuerunt G. Cuperus [r], Rambach [s], et Eichstaedt [t], inter tria illa probe est distinguendum. *Hilarodia* omnino non erat drama quod ageretur, sed tantum Rhapsodorum lusus, et, ut Festus [u] ait, *lascivum et delicatum carmen:* quod duntaxat ab ipso poëta, id est Rhapsodo, saltaretur [x]. Illud autem *lascivum et delicatum carmen* non obstat Aristoxeni definitioni, *τὴν ἱλαρῳδίαν, σεμνὴν οὖσαν, παρὰ τὴν τραγῳδίαν εἶναι.* Quippe ea Festi verba in bonam partem videntur accipienda, ut *ἱλαρὸν* : quomodo *ductu molle atque facetum carmen* Virgilio tribuit Flaccus [y], ubi Acron: *Annuerunt Musae: nam nihil jeculariter in Georgicis scripsit.* Patet verba quaedam esse omissa. — Porphyrius *Molle autem et elegans Virgilium* [carmen dicit scribere] — Commentator Cruquii: *ductu molle; hoc est versum mollem et aequalem facetumque Musae concesserunt Virgilio.* — Ad crepidas vero ipsas Hilarodis usi-

ta-

r. Obs. l. I. c. 10. p. 73.

s. Ad Casaub. *de Sat. Poes.* I. 3. p. 93.

t. *De Dram. Graec. Com. Sat. et de Sosithei Lytiersa.* p. 43. n. 60.

u. v. *Hilarodos*,

x. Sic neque *Hilarotragoediam* dramatis genus fuisse, neque cantatam quidem, aut saltatam, affirmant Cuperus et Rambach; negat autem Eichstaedt, locis citatis. Id vero hujus loci non est. Plura Sect. III. §. 1. v. 78.

y. Sat. I. 10. 44.

tatas quod attinet, Aristotelis testimonium, ab Athenaeo a traditum, invocemus. Qui, post relatas varias cantorum species, Magodos, Lysiodos, alios, ita pergit: Σεμνότερος δὲ τῶν τοιούτων ἐστὶ ποιητῶν ὁ ἱλαρῳδὸς καλούμενος· οὐδὲ γὰρ σχινίζεται. χρῆται δ' ἐσθῆτι λευκῇ, ἀνδρείᾳ, καὶ στεφανοῦται χρυσοῦν στέφανον, καὶ τὸ μὲν παλαιὸν ὑποδήμασιν ἐχρῆτο, νῦν δὲ κρηπῖσι. Hilarodi igitur *crepidis* utebantur; quam rem utinam clarissimus Athenaei editor, Schweighaeuserus, illustrare voluisset. Nunc ego nihil certi dare possum, et suspicor tantum, eos ideo, ut propius ad Tragoediae gravitatem accedere, adeoque praestantioris esse notae artifices viderentur, hujus ornamenti usu Tragoediam esse aemulatos.

Si igitur crepidae in usu fuerunt tragoedis Graecis, et saltatoribus, qui ad Tragicam gravitatem accederant; sequitur, *crepidatarum*, nomen apud Lydum, unde semel exciderat, et in Donati fragmentum *de Comoedia et Tragoedia*, unde funditus sublatum fuerat, non temere, pro Tragoediae genere, a nobis reponi.

§. 3.

Fabula Palliata et Togata.

Diximus de *Tragoedia*, quae in *Crepidatam* et *Praetextatam* dividitur. Veniunt apud Lydum *Comoe-*

a. l. c. Lib. B.

moediae septem species: de quibus aliquid dicendum. „Ἡ μέντοι Κωμῳδία, inquid Lydus, τέμνεται εἰς „Παλλιατὰν (sic legendum), Τογάταν, Ἀτελλάνην, Ταβερναρίαν, Ῥινθωνικὴν, Πλανιπεδαρίαν, καὶ „Μιμικὴν". Haec habet ille, ut dictum est, e Donato, paulo tantum transpositis verbis. At eundem in sequentibus definitionibus auctorem per omnia sequi non potuit, quia quaedam ille tractare omiserat. Nos paragraphos singulos binis generibus simul explicandis destinamus.

Παλλιάταν, Τογάταν, Lydus sibi invicem opponit, ut supra in Tragoediis Κρηπιδάταν καὶ Πραιτεξτάταν. Nam „Παλλιάτα, inquit, ἐστὶν ἡ „Ἑλληνικὴν ὑπόθεσιν ἔχουσα Κωμῳδία, Τογάτα δὲ ἡ Ῥωμαϊκὴν, ἀρχαίαν". Eodem modo Donatus. Sed digna res est, quae paullo uberius tractetur: quippe hanc divisionem vulgo improbant eruditi [a], et Donatum castigant, speciosa illi Diomedis Grammatici opinione decepti. Hic nimirum *Togatas* censet universum nomen esse pro fabula quavis Latina, ejus vero species esse ipsas *Praetextatas*, et praeterea *Tabernarias*, *Attellanas*, *Planipedias*; et proinde non vulgus modo, sed et Horatium erroris taxat, quod *Togatas* specialiter pro *Tabernariis* dixerint. Ejus verba sunt [*]: „Initio *Togatae* Comoediae „di-

a. Vid. v. g. V. D. *Nagel*, ad *Nieupoortii Antiq. Roman.* IV, 5, 7. p. m. 349. Nam ipse Nieupoort cautius exposuit.

*. L. III, c. 486. sub fin. Putsch.

„ dicebantur, quod omnia in publico honore confusa „ cernebantur, quae *Togatas* postea in *Praetexta*-„ *tas* et *Tabernarias* dividebantur. *Togatae* fabulae „ dicuntur, quae scriptae sunt secundum ritus et „ habitus hominum togatorum, id est Romanorum: „ toga namque Romana est: sicut Graecas fabulas, „ ab habitu aeque *Palliatas* Varro ait nominari, „ *Togatas* autem, cum sit generale nomen, specia-„ liter tamen pro *Tabernariis* non modo commu-„ nis error usurpat, qui *Afranii Togatas* appel-„ lat [b], sed et poetae, ut Horatius, qui ait [c]:

„ *Vel qui praetextas, vel qui docuere togatas*".

Ego non adeo illos, quos reprehendit Diomedes, quam ipsum, falli puto: mihique res sic se habere videtur. Ut *Praetextatae* sunt Tragoediae Romani argumenti, ita *Togatae* sunt similis argumentationis Comoediae: probat ipse Diomedes, cum initio Comoedias a Romanis sic dictas fuisse notat; comprobat etiam Varronis testimonium, quod ex eodem Diomede, non vana hariolatione, conjicio ita conceptum fuisse, ut *in Comica genere* Togatas et Palliatas, quasi Latinas et Graecas, sibi invicem opposuerit; ostendit et, ne de *Afranii Togatis* dicam, Ho-

ra-

b. Ita legendum puto. Putschius edidit *quia Fauni t. a.*; ed. Buschii, Colon. 1523. 8vo. a Bondamo collata, *Faunius togatas appellat* — Africanius *togatarum scriptor* vid. Diom. infr. c. 488; Gellius X. 11; XX. 6.

c. Ep. ad Pis. v. 288.

ratil locus, quem injuriâ reprehendit Grammaticus. Is enim de *Graecorum* TRAGOEDIA et COMOEDIA egerat, et tunc subjunxit:

> *Nil intentatum* NOSTRI *liquere poetae,*
> *Nec minimum meruere decus, vestigia Graeca*
> *Ausi deserere, et celebrare* DOMESTICA *facta:*
> *Vel qui* PRAETEXTAS, *vel qui docuere* TOGATAS.

Non potuit Horatius Romanorum Tragoediam et Comoediam apertius distinguere; neque adeo validius esse potest argumentum, quo *Togatam* proprie de *Comoedia*, non vero de *quavis fabulâ Romanâ*, intelligendam doceas.

Jam vero, etsi illud *Togatarum* nomen non adeo late pateat, ut et *Praetextatas* contineat, tamen non infitior lapsu temporis Togatis accenseri coepisse alias Comicas Romanorum fabulas: praecipue *Tabernarias*, Togatis propriis similes quidem, vilioris argumenti. Sed vel ideo distinguendum fuerat inter *Togatas proprie dictas*, quibus honestioris ordinis personae inductae, et has *Togatas Tabernarias*. Gravius quidem Togatis argumentum remansisse significat Seneca d, cum ait: „ Quam multa „ poëtae dicunt, quae a philosophis aut dicenda, „ aut dicta sunt. Non attingam tragicos, aut *To-* „ *gatas* nostras: habent enim hae quoque aliquid „ severitatis et sunt inter comoedias et tragoedias „ mediae. Quantum disertissimorum versuum in- „ ter

d. Epist. VIII. sub finem.

„ ter mimos jacet?" Et Togatis porro videntur adnumerari coepisse *Attellanae* et *Planipediae*. Ratio manifesta: quia et his omnibus Romanum argumentum.

Hinc ortus Diomedis error, quasi sic ratiocinatus esset. „*Togatae* et *Praetextae* utraeque argumen„tum Romanum tractant. Atqui *Togae* species est *Praetexta Toga*. Ergo fabula-*Togata* de genere di„citur, *Togata*, *Praextata*, (nam sic eas vocat) „de specie". Qui error eo facilior esse potuit, quod fortasse *Crepidatarum*, in Tragico genere, neque distinctionem, neque nomen adeo, notum haberet. Scilicet neque hoc, ut videtur usitatissimum, et illius tempore jam magis evanidum. Nam Donato Diomedes est recentior.

Et haec videtur solius Diomedis opinio, ut quam ab alio quoquam confirmari nondum exploratum sit. Neque enim Festi[e] auctoritati, quam quis mihi objiciat, multum tribui potest, qui mutilus est, et tantum a viris doctis ex ipso Diomede suppletus. Verba apponam, et interpolata uncinis includam „*Togatarum* [duplex est genus praetextarum ho]mi„num fastigi, quae [sic appellantur], quod to„gis praetextis temp. [administrarent] tabernaria„rum quia [hominibus ex]cellentibus etiam humi„les [permixti ut sunt p]lagiarii, servi denique et „[cauponae ex ta]bernis honeste prodeant [per-

...] „ sae-

e. In v. *Togatarum*.

„ saepe]", — Ego, vel si recte haec suppleta essent, haud multum inde effici posse putem, cum sit Festus etiam *Donato* junior; sed profecto non recte illud esse factum, ipsa claudicans verborum compositio arguit. Certe verbum *prodeant* abundare videtur.

His disputatis, sic concludo, recte Lydum *palliatam* dixisse *Comoediam* Graeci argumenti, *togatam*, Romani: recte item *Praetextatas* non comprehendisse in Togatis. Et in his congruit cum reliquis auctoribus. Asconius Pedianus [f]: „ *Actoribus Graecis*] *Palliatarum* scilicet fabularum: „ in his enim, etiamsi Latinae sunt, Graeca omnia „ servantur: nam Latinae fabulae per pauciores age„ bantur personas, ut *Attellanae*, *Togatae*, et hu„ jusmodi aliae". Donatus *de Trag. et Com.* unde sua habet Lydus: „ Comoediarum formae sunt „ tres: *Palliatae*, Graecum habitum ferentes, quas „ nonnulli *Tabernarias* vocant; *Togatae* juxta for„ mam personarum habitum togarum desiderantes; „ *Attellanae*, caet." sed ecquid miraris, hunc jam dicere „ *Palliatae — quas nonnulli Tabernarias* „ *vocant*"? neque hunc locum opinionis meae argumentum adferre? Haesit et G. Cuperus [g]: et ait „ *compertum sibi esse, hos nonnullos errare*". Sed tamen responsio facilis, quam viro sagacissimo in

f. Ad Cic. in Verr. Divin. c. 15.

g. l. l. p. 67.

in mentem non veniase ego invicem miror: credo nimirum ista verba, frequenti errore, esse trajecta et pertinere ad sequentia de Togatis; ita ut locum sic constituam: „ Palliatae Graecum habitum ferentes; „ Togatae juxta formam personarum, habitum to- „ garum desiderantes, *quas nonnulli tabernarias* „ *vocant*"? Namque id docuit ipse, quem fuse tractavi, Diomedis error: „ *Togatas autem, cum* „ *sit generale nomen, specialiter tamen pro Taber-* „ *nariis non modo communis error usurpat, qui* *Afranii Togatas appellant, sed et poëtae.*" Apparet Diomedem ipsum inter illos esse, qui *Togatas* (id est *Comoedias, Latine conscriptas, argumento Romano, sed non vilioribus personis permixtas*, cujusmodi erant Afranii fabulae) *Tabernarias* dicendas esse censuerint. Nec mirum: cum *Togatas* non pro *Comoediis* in specie, sed pro *quavis fabula Romana* ille acciperet. Et plures fortasse e populo fuerunt, qui in eundem errorem inciderent: verum e scriptoribus, ut dixi, praeter Festum, de quo tamen non constat, nullus est. Ad alios Grammaticos pergamus. Quorum Evanthius quidem, sive potius incertus quidam de Tragoedia et Comoedia, *Palliatas* omisit, quia is nempe tantum de fabulis Romani argumenti locutus est. Idem vero *Togatas* dicit *a scenicis atque argumentis Latinis.* Vide rursum an rectius legatur *a scenicis* TOGIS *atque argumentis Latinis.*

Denique Donatus noster, saepe ille adlegatus, *in Commentario ad Adelphos* „ — Apud Latinos *fa-* „ *bu-*

„ *bula:* cujus species sunt: *Tragoedia*, *Comoe-*
„ *dia*; — *Togata*, *Tabernaria*; — *Praetexta*;
„ *Crepidata*; — *Attellana*; — Μιμος; — *Rhin-*
„ *thonica*". Sic dixi [h] distinguendum videri: nunc illud addo, excidisse, nisi fallor, *Palliatarum* nomen, quod cum *Togata et Tabernaria* jungendum erat. Quare ego, si Codices faveant, lubens restituerim.

Comparata inter se plerorumque Grammaticorum hac de re doctrina, restat ut, coronidis loco, addam pauca de epitheto ἀρχαῖον, quod Togatarum argumento, ὑποθέσει, Lydus tribuit. Id credo eum usurpasse, tum quia Mimica ars, quae sola ad ipsius tempora servata erat, ipsa quoque Romanum saepe haberet argumentum, sed illud recens, tum quia ipsi sic praecivisset Serenus Sammonicus [i]:

Praeterea si forte premit strix atra puellos,
Virosa immulgens exsertis ubera labris;
Allia praecepit Titini sententia necti,
Qui veteri claras expressit more togatas.

§. 4.

Fabula Attellana et Tabernaria.

In superioribus latius sum divagatus, quia, cum auctorem nostrum, tum Grammaticos universos, ab in-

h. Supra Sect. II. §. 2. p. 44.
i. c. LIX. v. 1043.

injuriae crimine, quo hi certe ab eruditis recentioribus insimulantur, aliquatenus liberare, totam vero de Togatis doctrinam simul uberius exponere volui. In his minus erit operae:

„ Ἀτελλάνη δὲ, inquit Lydus, *ἐστὶν ἡ τῶν λεγομένων Ἐξοδιαρίων· Ταβερναρία δὲ ἡ σκηνικὴ, ἡ θεατρικὴ κωμῳδία*".

Atellana. — Inde ab his verbis Laurentius noster ducem suum Donatum deseruisse videtur: quippe Donatus Atellanas aliis plane verbis describit: *Salibus et jocis compositas* dicens, *quae in se non habeant, nisi vetustam elegantiam*. Ratio forsan haec fuit, quia ipse dux Lydum in sequentibus destituturus erat, scilicet tabernariam non nisi in transitu, ut vidimus, explicaturus, Mimos et Rhinthonicam plane omissurus. *Atellanam* autem Lydus melius, quam Donatus, exposuit, ac nisi a Grammatico desumta haec est explicatio, putem fere, quia adeo vaga et indefinita sit, haustam esse ex Juvenalis versu [a].

Urbicus exodio *risum movet* Atellanae.

Etenim et *exodiariorum* nomen alibi apud ejusdem interpretem [b] occurrit. Quod ad Atellanam nunc sufficiet, quia, si rem latius persequar, non jam Lydum illustrare, sed totam rem scenicam Romanorum excutere videar.

a. Sat. VI. 71.
b. Ad Sat. III. 175.

Ad

Ad TABERNARIARUM vero naturam quod attinet, praecedenti paragrapho ostensum est. Togatarum illas esse speciem, sed argumenti vilioris: ita ut jam olim a Romanis confusa sit ea appellatio cum *Togatis* proprie sic dictis: sed Lydus quod ait Ταβερναρία ἡ σκηνωτή, id est *quae tabernas continet*, nescio an recte nec ne, dixerit. Illud apparet eum hic secutum esse Diomedem [c]. Is enim, caussam nominis sic reddit. — „ Humiles homines et „ privatae domus inducuntur, quae quod olim *ta-* „ *bulis* tegerentur, communiter Tabernariae voca- „ bantur ". Sic ad verbum transtulit τὴν σκηνωτήν: nam σκηνὴ est proprie *tentorium* et *tabernaculum* [d]. — Recte inquam, an secus, definiverit, non dijudicarim. Certe aliam nominis caussam tradit Euanthius, s. Anonymus *de Comoedia et Tragoedia*: „ *Tabernarias, ab humilitate argumenti et styli* ", et clarius Festi locus supra laudatus quatenus integer est: „ Quia [hominibus ex]cellentibus etiam humiles „ [permixti ut sunt p]lagiarii, servi denique et [cau- „ ponae ex tab]ernis honeste prodeant [per saepe]". Locus satis est intactus, ut pateat Festum *tabernarias* derivasse a *tabernis in quibus habitent* homines viliores, non etiam quasi ipsae domus, sive tabernae, in scenâ exstructae fuissent. Hoc autem loco auctoris nostri verbis Glossema esse admixtum censeo.

„ ἡ

c. col. 487. Puts.

d. Martin. Lex Phil. v. *Scena*; Voss. Etym. v. *Scena*, et *Theatrum*.

„ ἡ σκηνωτὴ, ait, ἡ θεατρικὴ κωμῳδία". Σκηνωτὴ Grammatica ratione rectum est. At τὸ θεατρικὴ est interpretatio non τοῦ σκηνωτὴ, sed quasi scripta foret vox σκηνικὴ, quae non ad *Tabernas*, sed ad *scenam* pertinet. Qui error cum crassior videatur, quam ut ipsi auctori tribui possit, equidem ab indocto glossatore esse profectum existimo.

§. 5.

Fabula Rhinthonica-Planipedia.

Sequitur: 'Ρινθωνικὴ ἡ ἐξωτικὴ· Πλανιπεδαρία ἡ Καταστολαρία. De his seorsim videndum.

Rhinthonica. — In hac voce, ut praemonui, Lydum plane destituit dux suus Donatus, qui, si modo integer ad Lydum et ad nos pervenit, de Rhinthonicis ne verbo quidem exposuit. Quare Lydus mihi videtur, cum Rhinthonis quidem fata nosset, at illius fabularum naturam et constitutionem non satis accurate pleneque perspectam haberet, brevi hac explicatione circa fabulas defungi nunc voluisse, de ipso Rhinthone et de illius fabulis mox quaedam alia additurus. Quare et ego de Rhinthone et ejus fabulis infra, suo loco, plura quaedam explicabo.

Planipedia. — In hac explicanda Donatum integrum exscribere potuisset noster Laurentius, verum non fecit. Ille quidem satis fuse sic: „ *Planipedia* „ autem dicta, ob humilitatem argumenti ejus, ac „ vilitatem actorum, qui non cothurno aut socco

 „ utun-

„ utuntur in scena, aut pulpito, sed plano pede: „ vel ideo, quod non ea negotia continet, quae per- „ sonarum, in turribus aut in coenaculis habitan- „ tium, sunt, sed in plano et humili loco". Sed bonum factum, quod ipsum non secutus est Lydus: quando quidem Donatus, ut monuerunt viri docti [a], nihil boni adtulit. Lydus, non paullo melius, *planipediam* (quam vocat πλανιπεδαρίαν) definit καταστολαρίαν: quod videamus. Ignotum id Lexicis vocabulum: et doctissimo Lydi interpreti Fussio adeo haesit aqua, ut in versione omiserit, in notis autem *quid sit* καταστολαρία *nescire se, professus sit*. Nec diffiteor me non sine cunctatione quadam eo progredi, ut feliciorem me, quam illum virum doctum, in hac voce investigandâ, fuisse adseverem. Sed vel sic dicendum quid conjecerim. Mihi igitur verba „ Πλανιπεδαρία ἡ Καταστολαρία" vertenda videntur *Planipedaria est* RECINIATA. Ita enim Festus: quem, ni fallor, ducem hic secutus est Lydus „ *Recinium* omne vestimentum quadra- „ tum. Si qui duodecim interpretati sunt, esse „ dixerunt virilem togam, quâ mulieres utebantur, „ praetextam clavo purpureo: *unde reciniati mimi* „ *planipedes*". Quae igitur Latine exponenda fuisset *Riciniata comoedia*, eam graece expressit Καταστολαρίαν. Quippe, quamvis de hoc loco Festi in-

ter-

a. Ad Festum v. *Orchestra*. Diomedes, col. 487, etiam duas explicationes proponit; priorem ineptam ut Donatus; posteriorem bonam, *quod in plano Orchestrae agerent*.

terpretes [b] certent, et adhuc, credo, sub judice lis sit, quaenam fuerit Ricinii forma, et quis usus, quod ne Festi quidem ipsius aetate satis notum fuisse monet Pitiscus; attamen id inter omnes constat, fuisse id vestimenti *muliebris* genus. Hinc ortus error Lydi, qui, cum Festus vocaret *virilem togam qua mulieres utebantur*, eandem hanc vestem putavit esse ac *stolam*, quae mulierum propria. Nec sane mirum. Idem scilicet Isidoro accidit, qui nostro paullo est junior. Is ita „ *Stola*, inquit, matro„ nale operimentum. — Stola autem Graece voca„ tur, quod superemittatur. *Eadem et Ricinium* „ Latino nomine appellatum, eo quod dimidia ejus „ pars retro ejicitur, quod vulgo *mavortem* dicunt [c]" Isidori autem error jam aliis [d] notatus est.

Sed neque sic omnis in proelivi. Quippe non Στολαρίαν dixit, sed, voce compositâ, Καταστολαρίαν. Tum et forma in άριος haud satis idonea. Rectius Καταστολάταν extulisset. De utroque igitur videndum,

b. Vid. Intt. Festi ad h. v.; et ad v. *Ricae*, et *Orchestra*; Voss. Etym. v. *Rica* — Contra Pitisc. Lex Ant. v. *Ricinium*, et, quos citat, VV. DD.; conf. Popma. ad Varr. fr. T. II, p. 406. (Ed. Bip.)

c. Nimirum quasi *rejicinium*. Sic apud Lydum III. 21. loco alioqui non integro ῥέκινον, ἀντὶ τοῦ ἀντιβολὰν, videtur intelligendum similiter de straguli genere, quo *schedarium*, ad occultandos calculos obtegeretur. Legendum ibi praeterea puto τὸ — καλούμενον ῥίκινον, et censeo voces ἀντιμάντιον, καὶ — aut simile quid, excidisse.

d. Pitiscum vide, in Lex. Ant. v. *Stola*.

dum, ita ut altius rem accessamus. Simplex Στολὴ duas habet significationes, alteram latiorem, qua sumitur pro *ornatu*, *vestitu universo* [e], alteram strictam, qua *stolam muliebrem* notat. Eaedem, credo, insunt voci compositae καταςολή. Certe latior illa *vestitûs universi* significatio, (praeter alias a *reprimendo*, quae huc non faciunt) extra controversiam est. Hesychius καταςολὴν, περιβολήν: et sic a septuaginta interpretibus [f] in versione Jesaiae, a D. Paulo in prima ad Timotheum epistola [g], denique a Jamblicho [h] usurpatum invenimus, quod multi viri docti monuerunt [i]. Atque hoc quidem casu significatio illa *amiciendi*, *circumjiciendi* per praepositam particulam κατὰ intenta videri potest. Ea certe tum universae hujus praepositionis vis est: tum proprie quidem obtinet in compositione vocum quae ad vestitum referuntur, ut καταςκευάζω [l]. — Porro strictior ille sensus, quo ςολὴν *stolam muliebrem* notare dixi, idem mihi videtur apud aerioris aevi scriptores in vo-

e. Vid. Periz. ad Ael. V. H. III. 24: et sic usurpat Lydus l. I. c. 12: Στολὴ δὲ τότε πατρὶ τῷ Ῥωμαϊκῷ σχηματι μία; l. II. p. 4. [*Augustus*] ἐχρῆτο ςολῇ — πορφύρας.

f. Cap LXI. v. 3.

g. Cap. II. v. 9.

h. *De Vit. Pythag.* c. II. p. 7.

i. Vid. Bielium *in Nov. Thesaur. Philol. s. Lex. in LXX. Int.*; et Schleusneri *Nov. Lex. in N. T.* in voce; G. Horreum *Animadv. Sac. et Prof. ad N. F.* II. 12.

l. Docet hoc citatus *G. Horreus*.

voce καταστολὴ obtinuisse. Significat hoc, ni fallor, Suidas, cui καταστολὴ exponitur ἡ στολή: nam articulus ἡ additus facit, me judice, ut στολὴ hic non sit *vestitus universe*, sed *proprie stola*. Et certe ea est linguarum, quando corrumpi incipiunt, indoles, ut voces compositae simplicium significatione usurpentur. Sic igitur credo Lydum etiam cogitasse de voce καταστολὴ pro *stola muliebri*. Nam apud Lydum quidem probari haec significatio videtur e mutua comparatione locorum Festi et Isidori, qui de *Stolâ* et de *Ricinio* agunt. Quare hoc, τὴν καταστολὴν, esse στολὴν, nobis tuto sumamus.

De formâ autem in άριος, quae melius in ἄτος, *atus*, desiisset, sic puto. Communis quidem est in re scenicâ haec terminatio, quae ad normam participiorum in *atus* desinentium flectitur: ita ut praecipue inserviat fabularum formis definiendis, secundum varium personarum, pro variâ conditione, vestitum. Sic enim vidimus *Palliatas*, *Togatas*, *Crepidatas* et *Praetextatas*; sic Cajus Melissus novum genus Togatarum fecit, quas *Trabeatas* inscripsit [m]; sic Naevii quaedam erat fabula *Personata* [n]; sic *Riciniatos* mimos modo exposuimus, omnes a vestitu. Et monuit Priscianus [o], quod comme-

m. Suet. de Ill. Gramm. c. 21.

n. Fest. in v.

o. L. XI. col 922. sq.; conf. Serg. *in Don. Ed. Sec.* col 1853; Cledon. *in Art.* col. 1918; Augustin. *de Grammat* col. 2012. Puts.

memorare hic liceat, forma tantum has voces ad Participia accedere, reverâ esse adjectiva, cum desint verba, unde formentur. Ex horum igitur analogiâ, appellanda etiam fuisset Lydo Comoedia illa aut *Στολάτα* aut *Καταστολάτα*. Verum quaerenti mihi, unde tandem fit orta forma *καταστολάριος*, suspicio orta est, formatam esse hanc vocem ad exemplum plurimarum aliarum, quae in re histrionica erant frequentissimae. Nam terminationis hujus ipsa frequentia in causâ esse potuit, quare, puriori sermone identidem cedente, vulgus imperitum eandem sine necessitate pro aliis formis melioribus dudum receptis, usurpare coeperit. Sic noti, probatique usûs erant hae voces: fabula *Tabernaria*; *Motoria* vel *Stataria*; fabularumque inscriptiones hac forma plurimae occurrunt, velut PLAUTI *Aulularia*, *Asinaria*, *Cistellaria*, *Mostellaria*, *Bacchiaria*, *Clitellaria*, *Carbonaria*, *Cornicularia*, *Frivolaria*, *Nervolaria*, *Patinaria*, *Vidularia*; NAEVII autem vel forte *Novii*, qui confundi solent [p], *Corollaria*, *Dsobolaria*, *Gallinaria*, *Liciniaria*, *Lignaria*, *Tabellaria*, *Tegularia*, *Testicularia*, *Tunicularia*; item CAECILII *Hypobomilaeus Rastraria*; POMPONII *Asinaria* et *Porcaria*. Ad hoc igitur exemplar formata etiam *primarius*, primarum partium actor, *Secundarius*, actor secundarum: quae, in re quidem scenica, sunt serioris aevi: sic Glossae:

p Distinxissem, si Codices omnes excutere licuisset: nunc in aliud tempus differo.

nae: *Secundarius*, *subdiga*, ὑποκριτής [q]. Nam quod e Cicerone [r], Valerio Maximo [s] et Plinio [t] hanc formam probare conantur, falsi sunt. Legendum enim *primarum*, *secundarum*, scilicet *partium* [u]. Dein *exodiarium* dixerunt et *emboliariam* mulierem, quorum illud apud Scholiastem Juvenalis [x], et Ammianum Marcellinum [y]; hoc rursus apud Plinium [z]. Hinc quoque, quod Suetonius [a] ait: „ Augustum „ Histrionum licentiam adeo compescuisse, ut Ste„ phanionem *togatarium* virgis caesum relegaverit ”; *togatarius* tenendum videtur, et, cum a libris Manuscriptis obscuratur, non immerito tuetur Casaubonus contra Torrentium, qui, ut supra *primarum secundarum* vidimus, ita hic quoque *togatarum* reponebat. Rectius inquam fortasse Casaubonus. Nam in Cicerone et reliquis proba est forma elliptica *secundarum*; in Suetonio, ut paullo recentiori, probari potest adjectiva *togatarius*. Ita *Podarius* [b] quoque tunc dictus est inter mimos esse, scilicet qui ad *podium* agat, pluresque ejus formae voces.

Ed-

q. Conf. Scal. ad Fest. v. *Salva res est.*
r. Brut. 69.
s. L. IX. c. 14. n. 4.
t. H. N. VII 12.
u. Vid. Ern. ad Cic. et VV. DD. ad Val. Max. ll. citt.
x. Sat. III. 175.
y. L. XXVIII. c 4.
z. Hist. N. VII. 48. 4.
a. In Aug. 45.
b. Gloss. Isid. in v.

Eâdem mox ratione, sed paullo etiam deterius, usurpari coeptae voces *Ludiaria Vestis* [c], cum antea rectius *Histrionicam* dixissent, quomodo et ab Isidoro exponitur; *Artifices Scenarii*, apud *Ammianum Marcellinum* [d], cum aetatis aureae scriptores *scenicos* dixissent [e]; *mimarii* apud Capitolinum [f] et Isidorum [*] (quam vocem etiam aliis auctoribus restituit Salmasius [†], et puto jure): cum Latinitas postularet vel substantive *mimum*, vel adjective *mimicum*, atque ita meliori saeculo dictum fuisset; *urbicarius* item *mimologus*, apud Fulgentium Planciadem [g], qui alioquin et melius *Urbicus*; denique apud ipsum Lydum nostrum, *Comoedia Planipedaria*, quae Donató et Diomedi, Latine melius dicitur *Planipedia*.

Hac igitur de terminatione Latina *arius*, in Latino sermone et vernaculis vocibus. Sed cum *κατασολὴ* vox, quantum quidem scio, plane sit Graeca, [*] nec

c. Gloss. Isid.

d. L. supra cit.

e. Varro quidem pro eâ usurpaverat formas *scenaticus* et *scenatilis*, sed quae et a Nonio eo nomine tanquam inusitatae referuntur. (in v. II. 822.): quomodo Naevius *Pisatilem* dixerat *e Pisis oriundum* (Fest. in v.)

f. In Vero c. 8. p. 38. D. ed. Salm.

* In Glossar. in *Sengio*.

†. In Solin. p. 693 a. D.

g. Mythol. l. II. c. 17. ubi vid. Munck. et Turn. Adv. III. 17.

nec a Romanis usurpata inveniatur [h]; hinc altera oritur difficultas, cum terminatio *ἀριος* non Graeca sit sed Latina. Nam Priscianus [i], postquam multas terminationes utrique sermoni communes enumeravit, addit: „ In Latino autem sermone non solum „ his utimur, sed etiam propriis quibusdam La„ tinorum, desinentibus in *us*, vel in *a*, vel in „ *um*, pura antecedente *ri*, ut *Catilinarius*, *Haere„ ditarius*, *Legatarius*, *Gladiatorius*, *Uxorius*, „ *Silataria*, *Pisanarium*. — Et, — acieudum, „ quod, quamvis forma sit possesiva haec quae „ in *rius* desinit, tamen diversae significationis „ nomina in hac quoque inveniuntur. Alia ab „ officiis, ut *tabellarius*, caet., alia a dignitatibus, „ ut *praefectorius* caet., quae tamen etiam posses„ sivam habent significationem. Alia ab aliis rebus, „ in quibus sunt; vel de quibus; vel quas habent, „ *In quibus sunt*, ut COLLARIUM, quod in collo „ est: caet. *De quibus sunt*, ut FRUMENTARIA „ est lex de frumento, caet. *Ex his* autem *quas* „ *continent*, ut VINARIA CELLA quae habet vi„ num [l] caet." Vera haec. Sed respondeo, Graecitate aequiore non ignotas fuisse Graecorum voca-

h. Quod enim legitur apud Vegetium de Re Veterinaria II 22. *catastolicum medicamentum*, id alio sensu dicitur, estque *reprimendi vim habens.*

i. L. II. p 589. Puts.

l. Sunt quidem et Graeca hujus formae, sed aut deminutiva neutra ut *παιδάριον*, aut correpta, ut ab *ἄγγαρος*, *angarius*, quod *α* corripit.

cabulorum formas, e Romano sermone adscitas: quemadmodum ne Romani quidem antiquissimi dubitaverunt Graecae originis vocabula, sed Latinitate donata suâ istâ formâ in *arius* efferre. Hujus rei exempla sunto apud Plautum [m] et Lucilium, [n] *Zonarius;* apud Terentium [o] *Cetarii* et, quam supra memoravimus, Naevii Comoedia *Diobolaria*, aliaque multa. Tum in ipsis Latinis vocibus, quantopere, puriori cedente Latinitate, paullatim istud quod dico usu invaluerit, notius est, quam ut longa demonstratione indigeat. Sed et voces peregrinae, atque barbarae, quae illâ seriori aetate ad hanc imaginem fingi coeptae sint, multae inveniuntur. Sic minus probabile *Stropharius* [p] pro *fallaci* vel *impostore:* neque illud a Graeco στροφαὶ, ut censet Graevius: (quamvis noti hoc usûs pro *versutiis* [q],) sed a Latino *Stropha*, quod Senecae, Plinio, Martiali, aliisque, usurpatum, et e Lexicis potest peti. Barbarum etiam, forma quidem, *Decentarius* [r] pro *oratore:* quod alii a *Dicendo*, alii a *Centenario* numero trahunt [s]; sic origine quoque ut videtur barbarum *Stopharius* pro Tributario Romano [t]. Ut igi-

m. Tr. in IV. 2. 20.

n. L. XXX. Apud *Nonium* in *Gerdius* (II. 379.)

o. Eun. II. 2. 24.

p. Apud Isid. in Glossar.

q. Vid. Schol. Aristoph. *Plut.* 1155. et Hemst. ibi.

r. Apud Isidor. *in Gloss.*

s. Vid. Graev. et Janss. ab Almel. ibi.

t. Vid. du Cang. *Gloss. Lat.* in v.

igitur Latina forma, in Graecis vocibus a Romanis usitata, sic eadem ad Graecos in Romanis vocibus Graece scribendis translata fuit: cujus rei passim obvia sunt exempla, ut verbi caussa *παλμουλάριος*, apud Marcum Antoninum [u]; atque apud Lydum nostrum plurima dignitatum vel munerum nomina *ὀρδινάριοι*, *βιξιλλάριοι* (vexillarii) *σαγιττάριοι*, caet [x]. Et sic denique eo ventum est, ut Graeci Graecas voces Latinâ hac terminatione efferrent, cum *secundarium* Latine dixisse non contenti de Praeposito qui sub Abbate esset, Graece eum nominaverint *Δευτεράριον* [y]; similiterque *Hipparium* dixerint *aurigam* [z] a Graeco *ἵππος*. *Ὀχεταρίους* [a] qui Romanis *Aquileges* (fontium et aquaeductuum architectos) ab *ὀχετὸς*, canalis; *Κοχλιάριον*, cochliarium; *Ὀπτανάριους*, Coctarios [b], et alia multa. Adeundus insuper de hac Graecitatis sequioris forma Hemsterhusius ad Aristophanis Scholiasten [c], ubi docet eandem etiam efferri solitam in *άρης*, ut *ἁμαξάριος* et *ἁμαξάρης*; *βαστογάριος* et *βαστογάρης*; *κουρσάριος* et *κουρσάρης*; *νωτάριος* et *νωτάρης*; *Φουρνάριος*, et *Φουρνάρης*.

Utraque sic difficultate, quae in voce *Κατασκλάριος*

u. *De Rebus suis.* I. 5. Conf. Suid. in v. Πραιτωρ.

x. Haec et multa alia l. I. c. 46.

y. Du Cang. Gl. Lat. v. *Secundarius.*

z. Isid. Gloss., ubi vid. Graev.

a. Gloss. Philox. v. *Aquileges.* Vid. Isaac. Voss. ad Pomp. Mel. II. 4. 17.

b. Ap. Philox. ubi et alia.

c. Notae ad Schol. Plut. v. 17, et in Corrig. p. 486.

pιος erat, sublata, jure mihi videor pronunciare Lydum, cum hanc usurparet, Comoediam Planipediam definire voluisse *Ricinatam:* quare huic paragrapho non amplius immorandum censeo.

§. 6.

Mimi.

In expositione formarum Comoediae soli restant Mimi: „ Μιμικὴ, inquit auctor, *ἡ νῦν δῆθεν μόνη „ σωζομένη, τεχνικὸν μὲν ἔχουσα οὐδὲν, λόγῳ μόνον τὸ „ πλῆθος ἐπάγουσα γέλωτι.* "

Neque hic Donatum sequi potuit, ut qui Mimum recensuerit quidem, sed postea non definierit: quare Lydus id, quod per se scire potuit, addidit, *eam solam artem suo tempore restare:* quod et ego jam in principio pluribus ostendi. Tum illud *λόγῳ μόνον τὸ πλῆθος ἐπάγουσα γέλωτι*, crediderim fere eum hausisse ex aequali suo Cassiodoro. Is enim similiter Mimorum lusus, quales tunc erant, comparans cum veteribus Mimis, ait [a]: „ Mimus *qui nunc „ tantummodo derisui habetur*, tanta Philistionis „ cautelâ repertus est, ut qui actus poneretur in „ litteris: quatenus mundum, curis edacibus aestuantem, laetissimis sententiis temperaret ".

At mirari subeat, quare tam Lydus, quam Donatus, *Mimos* distinguat a *Planipedibus*, cum Diome-

a. Variar. Epist. L. IV. ult.

medes quodammodo unam eandemque hanc speciem habere videatur. „ Quarta species, ait hic, [sc. „ togatarum] est *planipedis*, qui Graece dicitur „ *Mimus*". Has species autem recte distinguere non uno modo conati sunt eruditi. Sic Zieglerus in Commentatione Academicâ *de Mimis Romanorum* [b], „ Primitus Mimi Romani non nisi Sanniones erant; — „ sensim tamen in scenam introducti sunt, ut modo „ gesticulatione comoedos adjuvarent, modo in fabu„ larum intervallis soli aliquid suarum jocationum in „ Orchestra agerent. Tunc demum Romani Latino „ nomine eos indigitatos *Planipedes* vocarunt, la„ tiori quidem *Mimorum* nomine retento". Et sic etiam in sequentibus [c] *Planipedes* honestiores et in arte sua praestantiores fuisse judicat. — Ego si et hac in re novi quid proferre fas sit, putaverim, hoc quidem, quod Zieglerus exponit, discrimen locum habuisse, sed tantum, ut loquuntur, casu, nec ita, ut ad Mimorum naturam pertineret. Et vero aliud magis proprium esse notandum. *Mimos* enim, latiori nomine, quod docet Zieglerus, omnes formas mimorum continere; verum strictiori sensu, et magis proprie, dici debuisse eos, qui Graecum argumentum tractarent, *Planipedes* autem specialiter, qui Romanum. Atque adde illos pronunciasse *Palliatos*, scilicet habitu Graeco, hos vero *Recinitatos*, veste Romanâ. Opinioni meae auctor Diomedes, sed ita corruptus il-

b) P. 8.

c) Pag. 11, sq. not. (h).

ille, ut, nisi corrigas, intelligere eum nequeas ª; qui, post expositam *Planipedis* appellationem, addit, „ Si quas tamen *ex soccis fabulas* fecerant, „ palliati pronunciabant". Lego *exoticas fabulas*: nam error inde est, quod scripsit aliquis librarius *exsoticas*, quod postea in *ex soccis* mutare facile fuit, cum praecessisset mentio de comicorum *soccis*. Sic *Exoticas fabulas* intelligo Graecas, easque in pallio pronuntiatas fuisse conjicio. Atque hanc speciem Mimorum spectant Glossae, quae Pallatos universe interpretantur σιχολόγους (id est *Mimas*). At contra, iis Mimis qui proprie *Planipedes* dicebantur, qui scilicet, ut sentio, Romanum argumentum tractabant, *ricinium* fuisse in usu, Festus supra laudatus ostendit, cum ait: „ *Ricinium unde Ricinia-* „ *ti mimi planipedes*". Si enim *Ricinium* omnibus mimis fuisset commune, quidni simpliciter dixisset: „ *unde Riciniati mimi*"? At vero nunc ait: „ unde Riciniati *Mimi Planipedes*", ut significet, Ricinium ejus tantum Mimorum generis proprium fuisse, qui dicerentur *Planipedes*.

Et quamvis latior ille sensus, quo *Mimi* dicerentur omnes, etiam Planipedes, videatur usitatissimus fuisse, (unde verbi caussa Diomedes *Planipes*, inquit, *qui Graece dicitur Mimus*.) tamen sunt loca in

d. Haéret et Ziegleius pag. 10. not. (f) „ Ultima Diomedis „ verba fere nullam aliam interpretationem admittunt, nisi hanc: „ *quando argumenta Comoediae instar agebant Planipedes, pal-* „ *lio induti eas pronunciabant.*" Nec magis se expedivit pag. 24.

in quibus discrimen illud Mimorum et Planipedum stricto sensu observatum fuisse videas. Juvenalis [e].

> LAUREOLUM *velox etiam bene Lentulus egit*
> *Judice me, dignus verâ cruce: nec tamen ipsi*
> *Ignoscas populo: populi frons durior hujus,*
> *Qui sedet, et spectat triscurria Patriciorum,*
> PLANIPEDES *audit Fabios, ridere potest qui*
> *Mamercorum alapas.* ———

Nam *Laureolus* persona erat e fabula Mimica, unde ipsi fabulae *Laureoli* [f] titulus fuit. Quod cum Latinum sit nomen (ἀπὸ τοῦ *Laureolum*, formâ deminutivâ vocis *Lauretum*, ut vult Priscianus [g]: sive mavis ἀπὸ τοῦ *Laurea*) argumentum fabulae fuisse videtur Romanum, adeoque ipsa *Planipedia*: unde Juvenalem *Planipedes* in sequentibus nominate vides.

Et Ausonium quoque ad utrumque discrimen alludere suspicor: *artis* scilicet *praestantiam*, et *argumenti*, prout peregrinum vel vernaculum esset, *diversitatem*. Cum enim Axius Paulus ab eo carmina efflagitasset, respondet post alia [h]: „ Denique *Dissonum*, quem *Colonomon* existimo proprie

a

e. Sat. VIII. v. 187.

f. Vid. Schol. hic; Mart. *Spect.* VII; Suet. *in Calig.* 57; Tertull. *adv. Valent.* CXIV.

g. L. III. col. 617. Puts.

h. Epistol. XI.

„ a philologia appellatum, ad te mittere[1], ut ju-
„ bebas, recenti versum tuorum lectione non au-
„ sus, ea quae tibi jam cursim fuerant recitata,
„ transmitto. Etenim hoc popofcisti, atque id ego
„ malui, tu ut tuâ culpâ ad eundem lapidem bis
„ offenderes, ego autem quaecunque fortuna es-
„ set, semel erubescerem. Vide, mi Paule, quam
„ ineptum lacessiferis, in verbis rudem, in eloquen-
„ do hiulcum, a propositis discrepantem; in ver-
„ sibus concinnationis expertem; in cavillando na-
„ turâ invenustum, nec arte conditum; diluti salis,
„ et fellis ignavi; *nec de mimo planipedem*[1], *nec de*
„ *Comoedis histrionem*: ac nisi haec a nobis missa
„ ipse lecturus esses, etiam de pronuntiatione ride-
„ res." Quae sic intelligo ac si Ausonius dicat, *nunc mittere se ad Paullum illud carmen, cui cognomen* DISSONUM *fecerit: non tamen integrum, sed eam modò partem, quam Paullus jam recitari audierat.* Eam carminis *Dissoni* partem esse versus eos, qui pro epistola proxime insequenti hodie eduntur (quos verbis Graecis cum Latinis permixtis conscripsit, hoc modo:

'Ελλαδικῆς μετέχων Μούσης, *Latiaeque Camoenae*
'Αξίῳ Αὐσόνιος *sermone alludo bilingui. caet.*)

aut

1. Ita lego cum Gronov. Vulgo pro *ad te mittere* male *adcrevi.*

1. Quod edit. Delph. *mimum* intelligit fabulam, *Planipedem* vero actorem, et proinde in sqq. corrigit *de comoediis histrionem* nihil agere puto.

tut certe similem semi-Graecam scriptionem, cujusmodi apud illum plusculae inveniuntur [m]. At, quum ad hocce carmen respiceret, eum dicere, *se grave decorumque et eximium artificium praestare non posse, sed, tanquam Mimum, scurrile neque satis salsi quid exhibere: imo, si cum Mimis latiori sensu comparetur, tunc etiam aliam esse rationem, quare non inter praestantiores eorum,* PLANIPEDES *scilicet, sed tantum inter viliores, qui proprie* MIMI *dicantur, sit referendus: eam caussam esse in argumento et sermone, quae Planipedibus Latina sint, ipsi autem Ausonio dubium Latina, an Graeca.* Sic addit, quamvis supervacuum, sed pro more scribendi sibi proprio: *nec de Comoedis histrionem*, id est, *nec si cum Comoedis comparetur, referendum se esse inter actores Latinos.* Nam *histrio*, teste T. Livio [n], non Graecae, sed Tuscae originis est vocabulum. Eadem sermonis ambiguitas ratio videtur esse, cur carmen illud DISSONUM, Κολενδμον, inscripserit, quia Latinis Graeca male concinant. — Hunc ego locum uberius, quomodo ipse caperem, enarravi, quia interpretes plane diversam ab hac viam ingredi, imo omnes inter se discrepare, animadverti.

Ergo in Ausonio discrimen hoc esse observatum con-

m. Vid. *Epigr.* XL. et CXXVI; *Epitaph. Her.* XXV. 6; *Epistol.* XIV. 25. caet.

n. *Histor.* VII. 2.

conjicio, non tamen, ut dixi, miraturus, siquis idem apud alios crebro negligi videat. Atque de *Mimis et Planipedibus*, et eorum differentiâ, tantum.

Superest ut, datâ occasione, Donati ad Adelphos Commentarium obiter corrigamus. Recenset is, ut vidimus fabulas Latinas, quarum tres ultimas species sic nominat: „ *Attellana*, *μικτὸς*, *Rhinthonica*". Haec si sana essent, forent inepta. Nam *μικτὸς*, *mixta Comoedia*, refertur ad aliam divisionem, a fabulae cujusque indole petitam, qua *motoriae*, id est actuosae et turbulentae, vel *statariae*, id est sedatiores, vel denique *mixtae*, scilicet ex utroque genere, dicuntur. Sic docent Euanthius de Tragoediâ et Comoediâ et passim Grammatici. Neque quicquam haec cum divisione, quam exponit Donatus, commune habet. Ergo in Donati dicto loco legendum puto, „ *Attellana*, *Mimus*, *Rhinthonica*". Sic conveniet Donatus cum semet ipso, quippe haec, in fragmento *de Trag. et Com.*, eodem ordine conjungit, et *μικτὸν* prorsus non memorat. Nec multum diversus est Caesius Bassus Grammaticus [o], qui sic recenset: „ Tragoedia, Satyra, „ Praetextata, Comoedia, Tabernaria, *Attellana*, „ *Mimi*". — At corrupta lectio virum doctissimum Cuperum [p] induxerat, ut contra omnium veterum auctoritatem, *μικτοὺς* hic *fabulas e Tragico et Comico genere commixtas* interpretaretur.

SEC-

o. *De Metris*. Col. 2672. Puts.

p. *Obs.* l. I. C. 10. p. 68.

SECTIO TERTIA.

Lydi Lib. I. §. 41.

§. 1.

Phlyacographi.

Atque nunc demum ad ea transimus, quae Lydus, post exposita fabularum genera, de *Comoedia Rhinthonica*, adtexuit.

"Οτι δὲ ἀναγκαῖον οἶμαι, inquit, ἐμβραδύναι τῷ λόγῳ, προσθήσω καὶ τοῦτο. Ῥίνθωνα, καὶ Ἀσκήραν, καὶ Βλαῖσον, καὶ τοὺς ἄλλους τῶν Πυθαγορείων (Codex habet Πυθαγόρων) ἴσμεν οὐ μικρῶν διδαγμάτων ἐπὶ τῆς μεγάλης Ἑλλάδος γενέσθαι καθηγητὰς, καὶ διαφερόντως τὸν Ῥίνθωνα, ὃς ἑξαμέτροις ἔγραψε πρῶτος Κωμῳδίαν· ἐξ οὗ πρῶτος λαβὼν τὰς ἀφορμὰς Λουκίλιος ὁ Ῥωμαῖος, ἡρωϊκοῖς ἔπεσιν ἐκωμῴδησε. Μεθ' ὃν καὶ τοὺς μετ' αὐτὸν, οὓς καλοῦσι Ῥωμαῖοι Σατυρικοὺς, οἱ νεώτεροι τὸν Κρατίνου, καὶ Εὐπόλιδος χαρακτῆρα ζηλώσαντες, τοῖς μεν Ῥίνθωνος μέτροις, τοῖς δὲ τῶν μνημονευθέντων διασυρμοῖς χρησάμενοι, τὴν σατυρικὴν ἐκράτυναν Κωμῳδίαν. Ὁράτιος μεν οὐκ ἔξω τῆς τέχνης χωρῶν· Πέρσιος δὲ τὸν ποιητὴν Σώφρονα μιμήσασθαι θέλων, τὸ Λυκόφρονος παρ-

ἦλθεν ἀμαυρὸν. Τοῦρνος δὲ, καὶ Ἰουβενάλιος, καὶ Πετρώνιος αὐτόθεν ταῖς λοιδορίαις ἐπεξελθόντες, τὸν σατυρικὸν νόμον παρέτρωσαν. Καὶ ταῦτά μεν περὶ τῆς ἀρχαίας Κωμῳδίας τε καὶ Τραγῳδίας".

Hujus paragraphi principium, non minus quam superiores, inter inculta illa loca est, quae aliis excolenda ab Editore relicta esse dudum diximus, quippe ab ipso, dum nobis Lydum dare festinat, haud satis per otium tractata.

Is enim corruptam Codicis lectionem, quae sic se habet: „ *καὶ τοὺς ἄλλους τῶν Πυθαγόρων* ", satis habens in *Πυθαγορείων* mutasse, locumque de Pythagoreorum philosophorum sectâ, quae et ipsa in magnâ Graeciâ floruit, accipiendum opinatus, ita vertit: „ *Rhinthonem*, *Asceram* et *Blesum*, aliosque Pythagoreorum constat egregiarum disciplinarum in magnâ Graeciâ auctores fuisse". In quo humani quid passum esse virum doctum aegre fero, nec dissimulare tamen possum. Ipsa praecedens *Rhinthonis* mentio, tum et ea quae nunc de eodem, deque satyrâ Romanâ dicuntur, satis ostendunt, de philosophâ Pythagoreorum disciplinâ hic non agi, sed omnino de aliâ re, qua nobilis fuit eadem Italiae pars, quae *Magna Graecia* dicebatur. Scilicet sermo hic est de eo lusuum genere, quod supra verbo attigimus [a], nempe de *Hilarotragoediâ*, cujus auctor *Rhinthon* Tarentinus satis est omnibus notus

[a] Vid. huj. cap. Sect. II. §. 2. p. 39. sq.

ms ex historiae litterariae scriptoribus, Gyraldo, Vossio, Harlesio [b].

Jam ea *Hilarotragoedia*, qualiscumque tandem iste lusus fuerit, sive drama, quod ageretur, sive minus (quod inter viros antiquitatis peritos in ambiguo adhuc est) cum alio nomine Φλυακογραφία dicatur; hinc mihi nata est suspicio, pro Πυθαγόρων apud Lydum legendum esse Φλυακογράφων. Sed nescio an operae pretium fuerit hac de re paullo uberius exponere.

Ipsa quidem vox φλυακογράφος, quae et φλοιακογράφος scribitur, minime rara est. Sic apud Athenaeum citatur Sopater ὁ φλυακογράφος [c] et alius etiam de eo locus exstat [d]. Ipse autem Rhinthon tum φλύαξ simpliciter, tum Φλυακογραφίας auctor dicitur. Stephanus Byzantinus [e]: „ Ἀνεγράφησαν πολλοὶ — καὶ Ῥίνθων Ταραντῖνος Φλύαξ, τὰ τραγικὰ μεταῤῥυθμίζων εἰς τὸ γελοῖον. Φέρονται δ' αὐτοῦ δράματα τριάκοντα ὀκτώ. — Φλύαξ autem γελοιαστής Hesychio [f]. Suidas autem Ῥίνθων Ταραντῖνος Κωμικὸς, ἀρχηγὸς τῆς καλουμένης Ἱλαροτραγωδίας, ἤ ἐστι Φλυα-

b. *Biblioth. Graec.* II. 19. Vol. II. p. 320. Adde quem citat ille, Toupium *in Suid.* Part. III. Ῥίνθων.

c. l. III. c. 32. p. 86. A.

d. l. XIV. c. 21. p. 656. F.

e. V. Τάρας: ubi vid. Intt.

f. In v. ubi cf. Intt.

φλυακογραφίας[g]. Quare, cum et noti sit usûs vocabulum, et hac quidem ipsâ in re frequentis, neque a scripturâ Codicis, quae est Πυθαγόρων, multum abeat, conjecturam nostram Φλυακογράφων, satis sic adsertam opinamur.

Rhinthona igitur, et Asceram, et Blesum, et reliquos Phlyacographos Lydus ait: *οὐ μικρῶν διδαγμάτων ἐπὶ τῆς μεγάλης Ἑλλάδος γενέσθαι καθηγητάς*, quod Fussius, cum *Pythagoreos* intelligeret, Latine vertit, *egregarium disciplinarum fuisse auctores.* Imo reddendum fuerat, *non parvorum poematum scenicorum fuisse auctores.* Aut, quod verius etiam puto, legendum *οὐ μακρῶν*, *non magnorum.* Sed hoc obiter dictum esto. Ad aliud venio. *Καθηγητὰς διδαγμάτων* haud sane protrita est hac in re phrasis: ut dubitare me fatear, an *δίδαγμα* pro *poëmate scenico* usquam reperiatur; sed tamen omnino sic accipiendum. Jam statim enim *διδάσκειν μῦθον*, (ut *docere fabulam* Latinis) auctorem dici, quemadmodum histrionem *discere*[h], tralatitium est. De voce *διδάσκειν*, classicâ disputatione ad Athenaeum, docuit Casaubonus[i]. At contra histrionem dici

g. Sic enim recte pro φιλακογραφία legi jubent Casaub. ad Athen. *l. c. e libro* III; et Valas. ad Hesych. l. c.

h. Vid. Cic. Tusc. Quaest. IV, 29; Terent. Heaut. Prol. 10, Hecyr. Prol. alt. 6. et 48.

i. l. I, c. 17; praecipue. l. VI, c. 7; add. l. XIV, c. 9. — Add. Budaei Comm. L. Graec. p. 1144. l. 19.

dici *discere*, id non perspexisse videtur vir ille doctissimus. Erroris illi caussa, quod τὸ διδάσκειν referri putaret ad παιδείαν [l], quasi illud significetur quod Horatius ait [m]:

> *Aut prodesse volunt, aut delectare poëtae,*
> *Aut simul et jucunda et idonea dicere vitae;*

cum revera *docere* poëta scenicus non auditores, sed *histrionem* aut gregem intelligatur. Nam hinc, exempli caussa, est quod ait Plautus [n]:

> *Quin edepol condoctior sum, quam Tragoedi aut Comici.*

Ita Latinis *docere caussam* patronum dicitur cliens; patronus ipse *discere caussam* [o]; tum orator *docere*, et judex vel auditor *docilis*, et *discere* [p].

Deinde, ne forte a proposito aberremus, derivatum inde δίδαγμα, tametsi vix pro *fabula*, aut simili notione, putem inveniri, ipsum tamen notum est vocabulum, quo usus etiam Aristophanes ad significandam *doctrinam* universe, sive id *quod quis docetur* [q]:

Ds

l. Lib. *de Satyr. Poës.* I, 3. p. 86. ed. Ramb.

m. *Ep. ad Pis.* v. 333.

n. Poenul. III, 2. 4.

o. Cic. de Orat. I. 12; II. 87; III. 13; pro Cluent. 69. — Vid et Ern. in Clav. his v. v.

p. Cic de Orat. II. 53, 77; Orat. 36; et Quint. I. O; passim. vid. praecipue l. V, pr.

q. Nub. 669.

> Ὡς ἀντὶ τούτου τοῦ διδάγματος μόνου διαλαμπρύνου σου κύκλῳ τὴν κάρδιαν

et alii [r]. Et confirmatur omnino ea quidem, quae hic proprie occurrit significatio, voce simillimâ *docimen*, quam usurpavit *Terentianus Maurus* [s], cum id quod *docuisset* poëta scenicus Livius Andronicus, in fabulâ Inône, id est, quod in illâ *dixisset*, *protulisset*, significare vellet:

> *Livius*, inquit, *ille vetus*, *Grajo cognomine*, *suae*
> *Inserit Inonis versu*, *puto*, *tale* DOCIMEN:
> *Et jam purpureo suras include cothurno*, *cet.* [t]

Sensus enim est, Livium ibi *docuisse*, *protulisse* quaedam versu μειούρῳ [u]. Et vero Lydus indefinitâ hac διδάγματος voce eò usus videtur, quod ipse, quale *doci̇minis*, aut, ut clarius dicam, poëmatis scenici genus fuisset fabula Rhinthonica, non satis teneret, quod neque nostrâ aetate constat. Indefinitam voco, quia διδάσκειν non Tragicorum et Comicorum est proprium, sed et aliis, certe Dithyram-

r. Sic Themist. Orat. XI. p. m. 153. ed. Flexiae 1613. 8vo διδάγματα vocat quae paullo ante παιδεύματα dixerat.

s. p. 2425 ed. Puts.

t. Quae sunt ex Hymno in Dianam, a choro cantato: vid. ibid. et cf. Marius Victor. *Art. Gramm.* I, I. in fine, col. 2512. Puts.

u. Diversâ autem significatione, sed formâ simili, est *documen*, pro *documento* apud Lucretium VI, 391.

rambicis poëtis commune: Ἀρίονα, inquit Herodotus [x], ἐόντα κιθαρῳδὸν, — καὶ διθύραμβον πρῶτον ἀνθρώπων, τῶν ἡμεῖς ἴδμεν, ποιήσαντά τε καὶ ὀνομάσαντα, καὶ διδάξαντα ἐν Κορίνθῳ. Idemque discimus ex Hesychio cui Διδάσκαλος, πᾶς ὁ ἐνεργῶν τι περὶ τὴν δραματοποιΐαν, καὶ τῶν κυκλίων χορῶν παρασκευήν· et ex Harpocratione: Ἰδίως διδασκάλους λέγουσι τοὺς ποιητὰς τῶν διθυράμβων, ἢ τῶν κωμῳδιῶν, ἢ τῶν τραγῳδιῶν [y]. — Hinc et ego, quo Lydi mentem adsequar, vertendum puto *poëmatum scenicorum*, non vero *fabularum*.

Addendum aliquid de voce altera καθηγητής: quae tametsi frequentatur pro *praeceptore*, *magistro*, ut et ipsum καθηγεῖσθαι pro *praeceptorem esse* [z], tamen hic ita accipi non debet, ac si καθηγητὴς διδάγματος, simpliciter pro διδασκάλῳ, id est pro *poëta scenico*, dictum foret. Imo καθηγητὴς hic eximie significat, *auctorem*, *inventorem* ut universe aliud compositum εἰσηγοῦμαι *auctorem esse* [a], et εἰσηγητὴς [b] *suasorem*, *auctorem*, *inventorem*, notat. Et sic, ut ne extra rem scenicam divagemur, in

x. *Histor.* I. 23.

y. Addi poterit G. Cuper. *Obs.* L. I. p. 3.

z. Vide loca in Steph. Thes. relata. Adde Ammonium v. Ἐδίδαξε. Ἐδίδαξε μὲν ὁ καθηγητὴς, ἐδιδάξατο δὲ ὁ πατὴρ σοφιστάς. Matth. Euang. XXIII. 8. Εἷς γάρ ἐστιν ὑμῶν ὁ καθηγητὴς, ὁ Χριστός. cf. v. 10; Lexic. Reg. Ms. Διδάσκαλον λέγει ὁ Σόλων οὐ καθηγητὴν, οὐδ' ὑφηγητήν.

a. Aelian. V. H. XIII. 24.

b. Plura exempla vid. in Thiemii Lex. Xenoph.

in Suidae loco, quem modo retuli, idem hic Rhinthon alio vocabulo dicitur ἀρχηγὸς τῆς καλουμένης Ἱλαροτραγῳδίας, et Athenaeus[c] ὀρχήσεως εἰσηγητὴν dixit: — Τῆς δὲ κατὰ τοῦτον ὀρχήσεως τῆς Τραγικῆς καλουμένης, πρῶτος εἰσηγητὴς γέγονε Βάθυλλος ὁ Ἀλεξανδρεύς. Atque ita τραγῳδίας ἡγεμὼν Platoni dicitur Homerus[d]: Ἔοικε — τῶν καλῶν ἁπάντων τούτων τῶν Τραγικῶν πρῶτος διδάσκαλός τε καὶ ἡγεμὼν γενέσθαι. — Mox[e]: Μετὰ τοῦτο ἐπισκεπτέον τήν τε τραγῳδίαν καὶ τὸν ἡγεμόνα αὐτῆς Ὅμηρον. — Tum[f]: Ἀλλὰ δή, εἰ μὴ δημοσίᾳ, ἰδίᾳ τισὶν ἡγεμὼν παιδείας αὐτὸς ζῶν λέγεται Ὅμηρος γενέσθαι; sic et εἰσάγω et ἄρχω usurpantur. Aristoteles[g]: τοῦ δὲ μύθους ποιεῖν Ἐπίχαρμος καὶ Φόρμις ἦρξαν· et mox[h]: Κράτης πρῶτος ἦρξε — καθόλου ποιεῖν λόγους. Sed hic locus est in transitu monendi, τὸ καθηγοῦμαι diversâ plane significatione, quamvis etiam in re scenicâ, accipiendum esse in Athenaei hoc loco[i]: Ἐκάλουν δὲ [οἱ παλαιοὶ] χορηγοὺς — οὐχ ὥσπερ νῦν τοὺς μισθουμένους τοὺς χορούς, ἀλλὰ τοὺς καθηγουμένους τοῦ χοροῦ, καθάπερ αὐτὸ τοὔνομα σημαίνει, καὶ [lege cum Casaub. πρὸς] τὸ

χορ-

c. l I. c. 16 p. 20. E.
d. Plat. de Rep. l. X. init. p. 595. C. (p. 284. ed. Bip.)
e. Ibid p. 598. D. (p 290. Bip.)
f. Ibid. p. 600. A. p. 293. Bip.
g. Poët. V. 5.
h. ibid. §. sq.
i. l. XIV. c. 8. p. 633. A.

κοινοτομουσεῖν, *καὶ μὴ παραβαίνειν τοὺς ἀρχαίους τῆς μουσικῆς νόμους*. Namque ibi videtur esse *chorum ducere*, id est *tum ordine in movendo*, *tum cantu primum chori esse*, qua scilicet ratione *στρατηγὸς exercitum ducere* intelligitur [l]. Hoc igitur hactenus.

Quibus cum versionis nostrae rationem Grammaticam abunde confirmari putemus, de historia quoque pauca sunt adjicienda. *Ῥίνθωνα* igitur *καὶ Ἀσκήραν*, *καὶ Βλέσον*, reliquosque Phlyacographos ait in magnâ Graeciâ non ita magnorum [m] poëmatum Scenicorum fuisse auctores. Ac Rhinthonem quidem, de quo jam dictum, mittere possumus.

De *Ἀσκήρᾳ* videamus. Is sine dubio idem est, qui Athenaeo dicitur *Sciras*, Comoediae Italicae auctor. Καὶ Σκίρας, inquit [n], (*εἷς δ' ἐστὶν οὗτος τῆς Ἰταλικῆς καλουμένης Κωμῳδίας ποιητής, γένος Ταραντῖνος*) *ἐν Μελεάγρῳ φησίν· κ. τ. λ.* *Italica* quippe *Comoedia* eadem de qua sermo hic est. De hujus poëtae (qui Athenaeo *Σκίρας*) nomine non satis constat inter viros doctos. — Rem altius repetam. Athenaeus alibi [o] laudat *fabulam Σκληρίας* poëtae Antiphanis. At vero Stobaeus aliquoties [p] citat *poëtam Σκληρίαν*, non additâ fabulae indicatione. Igi-

l. De vocis *καθηγοῦμαι* significatione vid. etiam Budaei Comm. L. Graec. p. 1138. l. 43.

m. Sic, e nostra conjecturâ, pro *μικρῶν* legendo *μακρῶν*.

n. l. III. c. 4. p. 77. D.

o. l. III. c. 4. p. 77. D.

p. p. 30, 163, et 552. ed. Basil. 1609. fol.

Igitur *poëtae* hoc nomen et *fabulae* Antiphaneae titulum unum idemque putavit Casaubonus [q], ita ut a Stobaeo non *poëtam*, sed fabulam ἀδέσποτον laudari crediderit. Ergo Casaubonum jure reprehendit Colomesius [r]; sed hic ulterius progreditur et Σκληρίαν poëtam, (qui et apud alios citatur) eundem ait, qui Athenaeo nostro male dicatur Σκίρας [s]. At quamvis et mihi Casaubonus errasse videatur, tamen alteram Colomesii opinionem, quae Σκληρίαν eundem esse putat ac Σκίραν, valde incertam mihi reddit Laurentii nostri locus, Colomesio ignotus. Nam movit profecto Colomesium *Scirae* poëtae ignobilitas. Atqui nunc non plane ignotus est, quandoquidem noster Lydus etiam illius meminit. Nam ut dixi, cum apud Athenaeum legatur ΚΑΙ ΣΚίρας, et hoc loco apud Lydum ΚΑΙ 'ΑΣΚήραν; cum notum sit η et ι jam tum temporis apud Graecos idem sonuisse; cumque eas litteras in Lydi Codice confundi solere moneat Hasius; illud sane nemo negabit, unam eamdemque hanc esse nominis scripturam censendam, et utrobique unam ex quatuor his formis, 'Ασκήραν, sive 'Ασκίραν, vel Σκήραν, sive Σκίραν esse recipiendam Et sane nihil obstat quominus inter tria haec distinguamus: Σκίραν poëtam Phlyacographum, Σκληρίαν alium poëtam Comicum, et

q. Ad Athenaeum L. I.

r. Ad Gyr. *Dial* VII. *de Poët. Hist.* p. 406. Opp. T. II.

s. Cf Fabrit. Bibl. Graec. L. II. c. 22. (vol. I. p. 787. Hamb. 1708).

et Antiphanis fabulam Σκληρίας. Ergo hac de re melius judicabunt viri docti: me quidem haec ad Lydi illustrationem apposuisse satis habebunt [t].

Tertius Comoediae Italicae auctor Lydo recensetur Βλέσος, cujus item nomen e pravâ pronuntiatione male habitum est: quippe, nullo discrimine facto, ut solent Graeci, inter αι et ε, perperam ita scribitur pro Βλαῖσος. Hic videlicet Stephano Byzantino [u] dicitur σπουδαιογελοίων ποιητὴς, id est *Comoediae Italicae*, quae et ipsa hoc nomine venire solet. Hinc et cum Rhinthone conjungitur ab Athenaeo [x], in cujus explicatione Casaubonus, quamvis Stephani locum ignorans, e solâ Blaesi dialecto, sagaciter conjecit eum in Siciliâ, aut Magnâ Graeciâ vixisse [y].

Absolvimus Phlyacographos, quos quidem Lydus recenset; *Pythagoreos* male exhibenti librario caussa erroris fuisse videtur mentio διδαγμάτων et magnae Graeciae, ubi olim Pythagoreos docuisse memoriâ te-

t. *Scirum* in Athenaei Indicem referre omisit eruditissimus editor Schweighaeuserus; et Colomesii quoque conjectura ejus diligentiam fugit.

u. V. Καπρέαι, ubi vid. intt.

x. l. III. c. 28. p. 111 C. cf. l. II. c. 12. p. 487. E.

y. Cf. Voss. de Poet. gr. p. 86. ed. 4. — Fallitur Pinedo *in Brev auctor. ad Steph. Byz.* putans Blaesum non nisi apud illum l. l. inveniri. Nam praeter Athenaeum quem citavi, meminit ejus etiam Hesychius v. Μοκκώταις, ubi vid. intt; Μολγῷ; et Φυλακτές. — Omissus a *Fabricio* in *Bibl. Graeca.* Saltem in edit. Hamb. 1708. 4to. frustra quaero.

tenebat. Sic horum notius nomen pro ignoto ipse φλυακογράφων maluit. Simile quid accidit Hesychii librario, qui fcripsit [1]: Ῥίνθων, Ταραντῖνος φιλόσοφος, quod in φλυακογράφος recte mutavit Toupius.

§. 2.

Rhinthonis metrum.

Ad historicam quoque hujus paragraphi enarrationem pertinet, ut quaedam adjiciamus de metro, quo Rhinthon usus fuit. Nam accedit hoc ad illius fabularum obscuritatem, quod de earum metro nullus alius veterum diserte tradidit. Lydus autem ait: „ Rhinthonem, prae aliis, poëmatum dictorum „ Scenicorum auctorem fuisse: *qui Hexametris* „ *primus comoediam scripserit*: ὃς ἑξαμέτροις ἔγρα- „ ψε πρῶτος Κωμῳδίαν". Equidem Jambicos illius versus fuisse, etiam contra Lydi sententiam, existimo. Et fateor quidem me, primo obtutu, ἑξάμετρα, quae Rhinthoni Lydus tribuit, intellexisse *Senarios*. At falso me hanc Lydo mentem tribuisse ostendit illud quod sequitur, *Lucilium*, *hunc imitatum*, *heroicis versibus Comoedias composuisse*, et magis etiam quod Lydus dicit, *reliquos Romanorum Satyricos*, *Horatium*, *Persium*, *caeteros*, *Rhinthonis metro usos fuisse*. Itaque Lydus quidem sine dubio *versum heroicum* intellexit. Unicus,

[1] V. Ἀρίνθων

tus, quem quidem sciam, locus qui cum hoc comparari possit, quemque ideo praeterire nefas duco, Acronis est, qui ad ista Horatii *, de Lucilio agentis:

—— Fuerit Lucilius, inquam,
Comis, et urbanus: fuerit limatior idem
Quam rudis et Graecis intacti carminis auctor,
Quamque poëtarum seniorum turba: ——

ita commentatur: *auctor*) „ Satyrae: Graeci non „ scripserunt Satyram integram, hoc est heroico „ carmine, sed miscuerunt cum Comoediis. Posset enim verba INTEGRAM, *id est heroico carmine*, ita accipere, ac si dixisset, *Graecos heroico quidem carmine scripsisse satyram, non autem eo solo et continuo, sed in comoediis, cum iambicis versibus commixto.* Verum enim vero, si et genuina et sana sunt Acronis verba, profecto potius ita explicanda sunt, quasi dixisset: *Graeci non scripserunt Satyram veram, et quam nos, Romani, proprie sic dicimus, scilicet heroico carmine; sed illi tantum Satyricum salem Comoediis suis admiscuerunt:* et sane huic posteriori explicationi favet idem Acron ad verba praecedentia: „ *Graecis intacti carminis*] Quia „ primus Satyram Graecis intactam versibus Hexa„ metris scripsit, etiam Graecis auctor hujus operis „ est. Antea enim soli Comici mores suorum car„ pebant apud Graecos. Quia dicuntur Graeci Sa„ tyram non putam scripsisse". Atque similiter ad eadem

* Sat. I. 10, 64.

eadem verba Porphyrius [b], et Scholiastes Cruquianus: „Nulli Graecorum Hexametris versibus hoc genus „ operis scripserunt". Haec omnia ostendunt Acronis locum non sic esse accipiendum, ut initio proposui: neque adeo cum Lydo conspirare, verum contra a Lydi sententiâ alienum esse. Et illud certum est, occurrere nonnullos *Jambicos* Rhinthonis versus, ut apud Ciceronem [c]:

Οἱ μὲν παρ᾽ οὐδὲν εἰσὶ, οἱ δ᾽ οὐδὲν μέλει.

et apud Hephaestionem [d], ex illius fabulâ Orestae:

— Ὁ φίλιππος αὐτὸς ἐξεβάλλε,

quem versum, ne corruptum censeas, ipse Hephaestion pro exemplo Jambico adducit.

Hic igitur ego invicem *Lydo errorem tribuo*: quem inde ortum censeo, quod Graecorum *Satyricas fabulas*, unde Rhinthonicae ortae videntur, cum Romanorum *Satyrâ* confuderit: et fortasse deceptus sit loco non admodum perspicuo Euanthii *de Tragoediâ et Comoediâ*. Namque hic, postquam de *veteri Graecorum Comoediâ* exposuit, ait „Et hinc deinde „ *aliud genus fabulae*, id est *Satyra*, sumsit exor„ dium. — Quod item *genus Comoediae* multis ob-

„ fuit

b. Acron et Porphyrius ex edit. Horat. cum Comment. XL. Grammaticorum, *Basileae Henricpetr.* 1580. fol. — Schol. Cruq. ex ed. *Plantin.* 1611. 4to.

c. *Ad Attic.* I. 20.

d. *Enchir.* p. 4. ed. Pauw.

„ fuit poëtis: cum in suspicionem potentibus civi- „ bus venissent, illorum facta descripsisse in pejus, „ ac deformasse stilo carminis. *Quod primo Luci- „ lius novo conscripsit modo, ut poësin inde face- „ ret, id est unius carminis plures libros.* Hoc „ igitur, quo supra diximus modo, coacti omittere „ Satyram, aliud genus carminis, τὴν νέαν Κωμῳδίαν, „ hoc est *novam Comoediam*, reperere poëtae". Vi- des hunc auctorem recte quidem Graecorum *Satyram* (sive *Satyricas fabulas*) a Romanorum *Satyra* distinguere (quippe qui illam *Comoediae genus* appellet, hanc autem, *novo modo conscriptum carmen*) atque mentionem quidem Lucilii tantum obiter injicere; sed tamen tam negligenti oratione haec efferre, ut imprudans facile decipiatur, et vel Lucilium, ad Graecorum Satyricorum morem, *Jambis*, vel hos Luciliano, *hexametris* scripsisse sibi persuadeat. Nec sane minimum huic suspicioni ponderis inde accedit, quod Isidorus, quem Lydus inspicere potuit, eadem quoque ratione Euanthii loco deceptus fuisse videtur. „ Duo, inquit ille, sunt — genera „ Comicorum, id est, veteres et novi. *Veteres*, „ qui et joco ridiculares exstiterunt, ut Plautus, „ Actius, Terentius. *Novi*, qui et *Satyrici*, a „ quibus generaliter vitia carpuntur: ut Flaccus, „ Persius, Juvenalis, et alii [e]". Quibus accurate [illegible] cum

e. Origin. VIII. 7, 6. ubi Grialius haec aut aliena, aut valde depravata putat. Injuria, credo. Nam erravit Isidorus,

cum Euanthii verbis collatis, patet Isidorum in illa mentionem τῆς νέας κωμῳδίας retulisse ad ea quae de Lucilio proxime praecedebant.

Sed tamen, quum et ego circa Rhinthonis metrum errare possim, non negligenda videtur Lydi sententia, quandoquidem fortasse ad Comoediam Rhinthonicam illustrandam facere potest. Quippe illa Rhinthonis Hilarotragoedia, sive Phlyacographia, a Gisberto Cupero [f] dicitur neque cantata olim, aut saltata, nedum acta; fuisse, neque adeo omnino in Dramatum numero habenda, sed accedere ad Gallorum *Vers burlesquès*, sive Italicâ voce dicere malis, *Travestimenta*. Hoc autem plerorumque antiquiorum litteratorum sententiam offendit, neque recentiori; eidemque acuto harum rerum judici *Eichstaedtio* [g] probatur. Huic enim contra Rhinthonica Hilarotragoedia visa est Satyrici dramatis, origine Attici, imitatio, adeoque et ipsa in Scenâ exhiberi solita fuisse. Jam Lydus noster Cuperi sententiae aut aliquid pondus addere, si vera docuit, aut si erravit, certe nihil detrahere videtur. Hoc enim casu, si nempe Heroïco carmine non usus est Rhinthon, nihil

Id vero et mihi certum videtur, in seqq., ubi: *Unde et nudi pinguntur*, librarii culpâ excidisse *satyrorum* mentionem. Sin minus; profecto negligentissime auctores suos excerpsit Isidorus.

f. *Obss.* l. I. c. 10. p. 75. cf. Ramb. ad Casaub. *de Satyr. Poët.* p. 92.

g. De Dram. Graec. Comm. Sat. et de Sosithei Lytierse p. 44.

hil tamen impedit quo minus, cum Cupero, illas carmen quidem Jambicum, sed quod in scenâ non ageretur, fuisse credamus. Sin verò mea de Lydi errore opinio ipsa falsa est, et Heroico metro re vera Rhinthon sua conscripsit, sane hoc egregie faciet ad Cuperi sententiam comprobandam. Neque tunc abstare putandum est Κωμικοῦ nomen, quod illi tribuitur, et Κωμῳδίαι, Δράματα, quae tum eidem, tum reliquis Phlyacographis, apud Lydum ipso hoc loco, et apud alios passim, tribuuntur. Quippe hoc intelligendum erit plane ut Euanthio Lucilius dicitur *hoc genus Comoediae novo modo conscripsisse*, quod supra vidimus: utque Lydus, illum secutus, eundem Lucilium κωμῳδῆσαι, reliquos autem Satyricos τὴν Σατυρικὴν κρατῦναι Κωμῳδίαν affirmat. Et recte haec; et ex optimorum scriptorum usu: κωμῳδεῖν enim Graecis est *poëtae Comici more perstringere*. Aristophanes, de eo quod quis in colloquio dixerat, ait [h]:

Σκώπτειν πειρᾷ καὶ κωμῳδεῖν, τοῦ σπουδάζειν ἀμελήσας·

ubi Schol. Cod. d'Orvilliani ab Hemsterhusio citatus: Σκώπτειν.] εἰρωνεύεσθαι. Κωμῳδεῖν.] ὑβρίζειν [i]. — Atque ita porro Κωμῳδίαι Rhinthonis, et δράματα eodem modo intelligantur, quo Sullam σατυρικὰς Κωμῳδίας γράψαι ab Athenaeo [l] discimus. Quum

h. In *Plut.* v. 558.

i. Adde Plat. *Apol. Socr.* XIX. et ibi Fisch; Ael. V. H. II, 13. et ibi Perizon. not. 15. et 19. ed. suae, L. B. 1701 8°; Casaub. *de Sat. Poes.* l. I. c. 3. p. m. 96.

l. l. VI. c. 17; p. 261. C.

Quum enim Athenaeus non ἐδιδάξε dixerit, aut καθῆκαι, (nam et hoc de poëta fabulas *docente* usurpatur [m]) non est cur *repraesentatas* has Sullae Comoedias, sed potius tales, quales Rhinthonicas censet Cuperus, fuisse credamus.

Quidquid autem de Rhinthonis metro statuendum sit, ego Lydum his duumviris sagacissimis, Cupero et Eichstaedtio, non innotuisse, etiam aliis nominibus vehementer doleo.

§. 3.

Turnus.

Priusquam Lydum relinquam, non possum, quin verbo moneam de *Turno*, quem is Romanis Satyricis accenset, et cum Juvenale et Petronio conjungit. Hujus observationis caussa est editoris doctissimi adnotatio hujusmodi. „ Τοῦρνος", inquit, *ni* „ *fallor, corruptum*". At fallitur: docent enim Gyraldus [a], Vossius [b], Casaubonus (in aureo libello de Satyrica Poësi [c]) Fabritius [d], Turnum, poëtam Sa-

m. Vid. Schol. Aristoph. *Nub.* 530, et 552, et Casaub. ad Athen. L. 17. p. 20. F. cf. idem ad l. VI. c. 7. p. 235, E.

a. Hist. Poet. Dial. IV. p. 246. G.

b. Hist. Poet. Lat. p. m. 48.

c. P. m. 231. ed. Ramb.

d. In Ind. *Bibl. Lat.* Nem in ipso opere locus ei non datus est.

Satyricum, Titi et Domitiani temporibus floruisse. Scaevaeque Memoris poëtae fratrem fuisse. Fragmenta autem Turni quaedam edita sunt in Wernsdorfii Poëtis Minoribus, T. III [e], tum et in veterum poëtarum Catalectis ad calcem Petronii Bipontini [f]. Cujus Fussii erroris leviculi corrigendi otium quidem nobis fecisse videri poteri vir clarissimus Boissonadius, editâ in diario publico [g] praeclarâ de hoc Turno dissertatione; sed cum id scripturae genus et nostratibus minus innotescat, et Gallis ipsis ut ἐφήμερόν τι, et fugitivum, memoriâ facile excidat, ideo monendum hoc, sive potius repetendum censui.

e. Inter Satyricos *loco quarto*. p. 77. Idem editor de Turno disseruit in *Proœm. de Poët. Satyr.* ejusdem Tomi p. LIX.

f. P. 234.

g. *Journal de l'Empire du 21 Janvier 1813.*

CAPUT QUINTUM.

NONIUS.

PROOEMIUM.

Nonius inter Grammaticos auctor a plerisque habetur minimi pretii: eo solum nomine laudandus, quod unus omnium maximam deperditorum scriptorum copiam nobis adservaverit. Atque ipse ejus aditor optimus et recentissimus, quanquam integris duobus saeculis a nostro remotus, Mercerus, illius ignorantiae, ne quid tristius dicam, ignoscere non solet. „ Hoc enim, inquit [a], voluit Nonius ....; „ sed errat, ut in *Expulsim* [b], in *Exponere* [c], in „ *Elevit* [d], in *Emungere* [e]; quae Nonius inepte „ omnia explicat: sed sic multa passim, quae sigil„ latim notare nimio taedio". Attamen ita sese res habet, ut aequissime idem judicasse videatur Mer-

cer-

a. Ad v. *Eluvio*, (II. 282.) Not. p. 280.
b. II. 281.
c. II. 275.
d. II. 273.
e. II. 271.

cerus [f], *huic vilissimo plumbo, quo commissae veterum auctorum gemmae, tamen ipsi quoque qualecumque auctoris sui artificium constare debere.* Quamvis enim ex plumbo aurum efficere non possimus, nec fucum hominibus facere lubeat, tamen ne plumbum istud pro argillâ lutove accipias, danda est opera, non sane illa ubique facilis: adeo sordibus illud inquinatum est. Jam ista opera a me in eo ponetur, ut si inter varietatem lectionis, ab eruditissimo Bondamo ad Nonium e Codicibus MStis adnotatam, quasdam ipsius conjecturas notabiles invenerim, eas subinde exhibeam; si quas ipse fecerim, has, qualescumque sint pretii, verecunde addam. Quod autem sic nonnulla e Bondami operoso circa Grammaticos labore in vulgus edere possum, id soli Wyttenbachio, viro summo, cujus beneficio illa inspicere mihi licuit, acceptum refero.

Sequar Nonii librorum ordinem. Unde cum Bondamianis mea permiscebuntur.

SECTIO PRIMA.

Nonius in v. Votitum (I. 215.)

„ VOTITUM veteres *religione aliquâ prohibitum vel interdictum* censuerunt. Plautus in Asinaria [IV. 1. 44.]:

No-

[f] Praefat. ad Nonium, sub finem.

„ *Nolo illam habere causam, et votitam dicere*".

Male olim intellectus locus: quare et Nonium errare crediderunt. Nam *votitum* acceperunt [a] ἀπὸ τοῦ *votum*, primis duabus productis. Hinc Lambinus [b], metri etiam, ut putabat, caussâ, e MStis suis reponendum censebat *vetitum*: explicabat, non (ut Nonius) *religione*, sed *syngrapho*, de quo fuerat sermo. At *vetitum* e Bondamianis unus habet Codex Dorvilii. Gudianus autem, ne solos recentiores interpretes errasse putes, exhibet hoc margini adscriptum glossema: „ Votitum, *devotum*, religiosum". Sed recte Vossius [c] ex Annaeo Cornuto [d] probavit *votitum* esse a *voto*, antiquâ formâ pro *veto*, ut *voster*, *vortex*, caet.: et sic jure etiam Noniana explicatio in ed. Gronovii retenta est. Quam ne forte ingeniosiorem quam veriorem existimes, ego observasse mihi videor, verba *jubeo* et *veto* non minus eximie de auguriis et de auguribus, quam de legibus et de magistratibus usurpari. Ita Terentianum [e] illud:

> *Quot res! postilla monstra evenerunt mihi!*
> *Introiit in aedis ater alienus canis;*
> *Anguis per impluvium decidit de tegulis;*
> *Gallina cecinit;* INTERDIXIT *hariolus;*

Hae,

a. Ita etiam Faber in *Thesauro*.
b. Ad Plaut. l. l. — Edit. per o exhibent.
c. Etym. v. *Veto*.
d. Ap. Cassiod. de *Orthogr.* c. 2283. Puts.
e. Phorm. IV. 4. 28.

Haruspex VETUIT: *ante brumam autem novi*
Negoti nihil incipere caussa est mystica.

Ita quoque Cicero [f]. „ Quae est igitur natura, „ quae volucres huc et illuc passim vagantes efficiat, „ ut significent aliquid, et tum *vetent* agere, tum „ *jubeant*, aut cantu aut volatu?" et alio loco [g]: „ Quam autem ob causam tam est obscure admoni- „ tus, ut ex ovo nasceretur thesauri similitudo po- „ tius, quam aperte thesaurum quaerere *juberetur*, „ sicut aperte Simonides *vetitus est* navigare?" et Horatius Ovidiusque ferè similiter: quorum ille [h]:

Sis licet felix ubicunque mavis,
Et memor nostri, Galatea, vivas:
Teque nec laevus VETET *ire picus*
Nec vaga cornix.

Hic autem [i]:

Non ego te, quamvis properabis vincere, Caesar,
Si VETET *auspicium, signa movere velim.*

et sic *prohibere* quoque in re augurali „ Quod si „ fatum fuit, inquit Cicero [l], bello Punico secun- „ do exercitum populi Romani ad lacum Thrasime- „ num interire; num id vitari potuit, si Flaminius „ consul iis signis, iisque auspiciis quibus pugnare „ *pro-*

f. De *Divin.* II. 38.
g. Ibid. c. 65; cf. cap. sq., pr. et c. 69. n. 143.
h. Od. III. 27, 13.
i. Fast. VI. 763.
l. De *Div.* II. 8.

„ *prohibebatur*, paruisset? certe potuit". Item „ Rex Prusias cum Annibali apud eum exulanti de-„ pugnari placeret, negabat se audere, quod exta „ PROHIBERENT". ——

Quare Nonius VOTITUM non inepte interpretatus est: *religione aliqua prohibitum vel interdictum*.

SECTIO SECUNDA.

Nonius in v. Fortunatim (H. 334.)

„ FORTUNATIM, *prospere*. Ennius Annalibus;

„ *Eae mihi reliquae fidei, regno vobisque, Quirites,*
„ *Se fortunatim, feliciter, ac bene vortat.*"

Ibi Bondamus sic: „ *Annalibus*. Lege ex Voss. „ *Annalium* I. Atque recte fragmentum hoc ex „ Lib. I. desumtum esse opinatus est Columna „ p. 39. Prior autem versus stare omnino non po-„ test, quare Columna edidit: *Mi reliquae fidei*. — „ quid autem hic significet τὸ *reliquae*, non video, „ quid si:

„ *Romulus et fidei, regno vobisque, Quirites.*"

Hactenus Bondam. Cujus sententiae si meam ad-ji-

m. Ind. c. 14.

ficere liceat, primum id monebo, lectionem quam expressit Mercerus (nam Columnae ista lectio a Junio profecta erat) etiam obferri a Codice Gudiano. Dorv. autem habere: „ — *Annalibus. Ea mihi reli- „ qua*"; At Palatinum sic: „ — *Annalibus: ea „ michi relinque fidei regno — nobisque quiristissa „ fortunatem fellitur aliquando fortat.* Deinde, haec verba a Columnâ tribui *Interregi, bene, feliciter novi, Regis creationem ominanti*: adduxitque ab eo Livii locum qui est Hist. I, 17. Jam vero ad hanc creationem si et ipse Bondamus respexit, ut fecisse videtur, dum ad Columnam provocat, vix est ut *Romuli*, tunc jam inter Deos relati, nomen Enniano loco quadret. Verum enim vero nullus locus ad nostrum Ennianum propius accedere videtur, quam a Columna citata Varronis * verba e Censoriis tabulis: *Quod bonum fortunatum felixque salutareque siet populo Romano Quiritium, Reique publicae populi Romani Quiritium*, MIHIQUE COLLEGAEQUE MEO, FIDEI, *magistratuique nostro.* — Quibus ego permotus sum, ut Nonii locum, tum et Ennii versus, tanquam non ab Interrege, neque ex Annalium libro primo, sed ab alio quodam magistratu, qui collegam haberet, aliâque occasione prolatos, proxime ad Nonii scripturam sic constituerem:

„ Ennius in Annalium i**:

Mi-

* De *L. L.* l. V. p. 61. inf. ed. Scal. (T. I. p. 74. ed. Bip.)

„ ——— MIHIQUE
„ COLLEGAEQUE, FIDEI, regno vobisque, Quirites,
„ Se fortunatum, feliciter ac bene vortat".

Fidei, per synizesin antiquis frequentissimam, disyllabum est. Et vitium est in libri citatione: quippe in voce *ea* latet numeri indicatio, quam, siue antiquiore Codice, frustra quis hariolaretur. Hae autem citationes saepenumero aut sunt falsae, aut, ut hic, lectionum monstra pepererunt b.

SECTIO TERTIA.

Nonius in v. Providere. (II. 656.)

Hic rursum subjungo conjecturam de meâ penu depromtam:

„ PROVIDERE, inquit Grammaticus, *movere et* „ *ferre.* Pacuvius Teucro:

„ *Aut me occide, illa hinc ane usquam provigeam gradum*".

Id quidem *Providere* profecto nunquam significare potuit *movere et ferre:* unde fuit qui emendaret PROVEGERE, et in Pacuviano item versu reponeret *pro-*

b. Vid. Scalig. ad Varr. p 86. (T. II. p. 144. ed. Bip.) Sic Dousa fragmentum Lucilii quod apud Macrob. Sat. VI. 4. e libro I. citatur, recte ad librum IX. transtulit. Adde Bond. *Var. Lect.* II, 14. in fine.

provegeam. At ego hoc contortâ significatione, imo obtorto collo huc inique raptum puto: quare, si quis secundum libertatem vindicias postularit, lubentissime dabo. Jam, missis ambagibus: *providere* non est verum: displicet *provegere:* at vide num melius, quod ego suspicor, *probitere*, quod est *progredi*, a *pro* et antiquo *betere*, id est *ire*, compositum [a]. Etenim *b* et *v* ut in omnibus manuscriptis saepe sunt confusa [b], ita fere semper in Nonio [c]. Oritur autem confusio e pronunciationis, quae labente Latinitate obtinuit, similitudine: cujus causâ et illius temporis Orthographi solebant praecipere quaenam voces per *b*, quaenam per *v* sint scribendae [d]. Itaque librarius qui *Provitere* pronuntiaret, nesciens quid esset, mutavit in simillimam vocem *providere.*

Est et aliud in Nonio quod probabilem nostram faciat emendationem: auctoris dico perpetuum morem, verba ejusdem aut originis, aut significationis, minimo intervallo sibi invicem subjiciendi. Namque hoc vocabulum *probitere* cum legatur in il-

a. Cf. Scal. Conj. ad Varr. p. 181. (Ed. Bip. T. II. p. 250) Voss. Inst. Orat. IV. 1. 7. p. m. 12. ed. 4°.

b. Voss. Cast. ad Scriv. Coll. p. 15; Burm. ad Anthol. L. I. Epig. 88. v. 65, et Epig. 138.

c. Scal. Conj. ad Varr. p. 12 et 38, (T. II. p. 8 et 62. ed. Bip.)

d. Vid. v. g. Cassiod. *de Orth.* cap. V — VIII. col. 2295. sqq. et Beda *de Orth.* col. 2330. sq. Puts. — Infra cap. X. de L. Gr. Pron. Sect. V.

libro II. n. 656, Nonius duobus ante lemmatibus (quod est in eodem libro n. 654) exposuerat aliud a *betere* compositum, *perbitere*. Solennis ista, inquam, Nonio consuetudo: compara sequentia:

Contendere:	l. IV.	n. 68.
Contentus:	ibid.	n. 78.
Distrahere:	l. IV.	n. 138.
Detrahere:	ibid.	n. 140.
Exponere:	l. IV.	n. 172.
Explicare:	ibid.	n. 174.
Locum:	l. IV.	n. 282.
Locare.	ibid.	n. 288.
Fructi:	l. VIII.	n. 62.
Fructuis:	ibid.	n. 72.

Et aliquando unam eandemque vocem bis ponit; sed item proximo loco, ut *Severiter:* l. XI. n. 5. et ibid. n. 16. — Cujus generis longe plura in vulgatioribus editionibus offenderemus, nisi plerumque ista ab exscriptoribus fuissent conjuncta: quae discreta et suo loca posita ex optimo Codice Victorino exhibuit Mercerus. Argumento esto praeceptum de voce *Cautio pro Cautelâ* (VIII. 487.) in editionibus omnibus semel positum, cum duobus exemplis, altero e Cicerone, altero e Terentio; at in Mercerianâ divisim: pag. 491, cum Ciceroniano exemplo; pag. vero 493, cum Terentiano.

Vix igitur dubitationi locus erit, quin recte in Nonio pro *Providere* reponatur *probitere* et hinc in Pacuvio, loco τοῦ *provigeam* (ut Merc. vel ut aliae, *pro-*

provideam) legatur item jure *probitam*. Quod autem *movere et ferre* explicat, id, fateor, minus aptum; sed ortum inde, quod in Pacuvio *gradum protetere*, (et recte quidem), intelligeret *gradum* MOVERE, *gradum* FERRE, PROFERRE.

At mittamus Nonium, relatumque ab eo Pacuvii versum videamus. Tentatus ille a Delrione sic [e]:

Aut me occide: illa hinc sibi si usquam provegeam gradum.

Vossius [f] autem: *illinc si usquam.* Jam quamvis ipsius fabulae constitutionem non possimus divinando satis adsequi, tenendum tamen, ex heroici aevi historiâ, Teucrum, cum in patriam Salamina rediisset, Ajacis fratris sui nece inultâ, a patre Telamone exulare jussum fuisse. Valde igitur fit verisimile, versum illum e Teucri personâ ad patrem fuisse prolatum. Hinc vide, an sic possit legi:

Aut me occide . . . Illinccine ut usquam probitam gradum —?

vel fortasse, *illincce nusquam.* In versu, qui est Octonarius Trochaicus, sic deerunt vel duae vel tres syllabae, prout integer fuerit, aut Catalecticus. In *probitam* est penultima longa: quod comprobant omnia, ni fallor, hujus vocis exempla. Plautus [g]:

Eum cras cruciatu maxumo perbitere.

ei

e. *Syntagm Trag. Lat.* p. III. 173. ed. Paris.
f. Castig. ad Scriv. Collect. Vet. Trag. p. 109.
g. *Pseud.* III, 2, 12.

G

et alibi [h].

Malo cruciatu in Siciliam verbiteres.

VARIETAS LECTIONIS.

Movere et: et deest, Dorv; Pal.
Teucro. abest in iisdem.
illa hunc sine usquam: sine abest, Cod. Dorv.; et Pal. *illa habui usquam; illa habui sine usquam*, ed. Ven. 1498.
provigeam: provideam, iidem omnes, item Voss. et Gud. — In Anon. Oud. deest totum Pacuvii exemplum.

---

h. Rudent, II. 6. 21.

CA-

CAPUT SEXTUM.

OVIDIUS.

SECTIO PRIMA.

~~*Heroid. Epist. VI. v. 40.*~~

Ingenii vocabulum de rerum quoque inanimatarum naturâ dici, saepissime docuerunt viri docti [a]. Ita *crines ingenio suo flexos* dixit Petronius: et antiquior Petronio Naevius, in Lycurgo [b]:

——— Frondiferos lucos,
Ingenio arbusta ubi nata sunt, non obsita.

Est igitur apud Ovidium quoque in Heroïdibus locus ex eâdem hujus significationis observatione intelligendus, sed fortasse aliter atque editus est, constituendus. Scribens Hypsipyle ad Iasonem queritur nullâ se epistolâ certiorem esse factam de illius vitâ: tum ex hospite qui e Thessaliâ advenisset, Ia-

so-

a. Turn. *Adv.* XXIX. 28; Burm. ad h. l.; ad Petron. c. 126; et ad Quint VIII. 2; Drakenb. ad Sil. Ital. IV. 96. XVI. 46; et fuse mit. ad T. Liv. Hist. II. 30.
b. Apud Nonium, in v. *Ingenium.* (IV. 235.)

sonis novos amores percontando rescivisset: ultimumque hoc ita refert:

Singula dum narrat, studio cursuque loquendi
Detegit ingenio vulnera facta suo.

Et hic quoque *ingenio suo* Burmannus explicat *sponte suâ, naturâ suâ.* Hoc omninò difficile est intellectu, et, quocumque modo locum acceperim, ego fateor me in eo semper quodammodo haesisse. Quid si ergo, levissimâ mutatione, sic corrigamus:

Singula dum narras, studio cursuque loquendi
Detegis ingenio vulnera TECTA *suo.*

Vulnera intelliges, quae alios amorea sectando Iason Hypsipylae intulerat. Sic Hero scribit Leandro *:

In tua si venient alieni colla lacerti,
Sitque novus nostri finis amoris amor:
Ah! potius peream, quam crimine VULNERER *isto,*
Fataque sint culpâ nostra priora tuâ!

Haec quidem *vulnera*, hi *amores*, *ingenio suo*, *naturâ suâ tecti* potuerunt dici: quippe Iasonis maximopere intererat, quantum posset, amores occultare, ut Hypsipylen illi laterent. Et certe ipsa hujus epistola incipit ab acri increpatione Iasonis, quod ipsi, Hypsipylae, nihil quidquam de rebus suis scripsisset. — Cum tamen non sit extra controversiam haec explicatio, equidem conjecturam meam dubitanter proposuisse contentus, nihil per me adfirmatum volo. SEC-

* *Heroid.* XIX. 108.

SECTIO SECUNDA.

Heroid. Epist. XXI. v. 209, 210.

Alter, quem mihi tractandum proposui, ex Heroïdibus locus exstat in epistolâ Cydippae ad Acontium. Est autem hic:

> *Mirabar, quare tibi nomen Acontius esset:*
> *Quod faciat longe vulnus, acumen habet.*

Quid velit auctor, id quidem patet; de verbis non ita compertum est. Optimus praeceptor Lennepius, in editâ ad hunc locum adnotatione. „ Nec pro„ bo, inquit, acumen, nec Ovidio propterea abju„ dico". Id primò observatum velim, quod tamen vix quemquam fugiat, lusum hic esse in *Acontii* nomine, quod Graecis *jaculum* significat: cujus exempla, praesertim in Tragicis Graecis, item in aliis utriusque linguae scriptoribus, sunt infinita. Rei auctor Homerus, qui Autolycum, nepoti suo Ulixi nomen impositurum, sic inducit loquentem [a]:

> Πολλοῖσιν γὰρ ἔγωγε ὀδυσσάμενος τόδ' ἱκάνω,
> Ἀνδράσιν ἠδὲ γυναιξὶν, ἀνὰ χθόνα πουλυβότειραν,
> Τῷ δ' Ὀδυσεὺς ὄνομ' ἔστω ἐπώνυμον —

Hunc

[a] Odyss. XIX. 407.

Hunc in Ulixis nomine, ut obitur dicam, imitatus est Sophocles [b]: Παρετυμολογίζει δὲ καθ' Ὅμηρον καὶ τὸ ὄνομα τοῦ Ὀδυσσέως:

> Ὀρθῶς δ' Ὀδυσσεύς εἰμ' ἐπώνυμος κακοῖς·
> Πολλοὶ γὰρ ὠδύσαντο δυσσεβεῖς ἐμοί.

Ut Homerus, sic Hesiodus de Titanibus [c]:

> Τοὺς δὲ πατὴρ Τιτῆνας ἐπίκλησιν καλέεσκε
> Παῖδας νεικείων μέγας Οὐρανὸς, οὓς τέκεν αὐτός·
> Φάσκε δὲ, τιταίνοντας ἀτασθαλίῃ, μέγα ῥέξαι
> Ἔργον· τοῖο δ' ἔπειτα τίσιν μετόπισθεν ἔσεσθαι.

Sed aliter tamen Homerus et Hesiodus; aliter Sophocles, et caeteri juniores. Hi alludunt ad nomen personae inditum, et vel *jure* vel *injuriâ sic nominatum* significant. Illi contra inducunt parentes, aut alias personas, reverâ liberis nomen imponentes, et caussam nominis impositi explicantes.

Neque ergò injuria est, quod Plato nomina heroûm a poëtis conficta suspicatur [d]: Ὥσπερ γε καὶ ὁ Ὀρέστης — κινδυνεύει ὀρθῶς ἔχειν· εἴτε τις τύχη ἔθετο αὐτῷ τὸ ὄνομα, εἴτε καὶ ποιητής τις, τὸ θηριῶδες τῆς φύσεως καὶ τὸ ὀρεινὸν ἐνδεικνύμενος τῷ ὀνόματι. Ita ve-

b. Auctor vitae Soph. p. XXVI. ed. Schaef.

c. Theog. v. 207 sqq. — de voce Τιτῆνες vd. Graev. ad Scut. Herc v. 229. et Lenn. *Etym.* L. G. — Ita Hesiodus ibid. 144, de Cyclopibus dixerat; v 195. sqq. de Veneris nominibus; de Nereo, v. 234; de Graeis, 271; de Chrysaore et Pegaso. v. 282.

d. In Cratylo. c. XIV et cf. c. XV. p. 397. B.

Venus quoque apud Homerum [e] filium suum ait vocatum iri Αἰνείαν· οὕνεκα, inquit μ' αἰνὸν ἔσχεν ἄχος: et mendicus ille in Odysseâ *Arnaeus* nominatus, cognomento tantum ab aequalibus suis dici coeptus est Ἶρος, ab *eundo*, *cursitando*, quod nuntius *iret*, quandocumque quis imperaret [f].

> — Ἶρον δὲ νέοι κίκλησκον ἅπαντες,
> Οὕνεκ' ἀπαγγέλλεσκε κιών, ὅτε πού τις ἀνώγοι.

At vero post Homerum tritissima haec fuit in nominibus ludendi consuetudo. Aeschylus in Prometheo vincto [g]:

Τοί-

e. Hymn. in Ven. 199.

f. *Odyss.* Σ. v. 6. Est enim Ἶρος (ex Ἴερος) et similiter Ἶρις (quasi Ἴερις), ab ἴω: quod *ire* significasse videtur; nam inde est εἶμι, ἴθι, ἰών, (quo alludit Homerus) ἵκω, ἰκάνω, ἱκνέομαι, et Latina *is*, *ivi*, *ire*. Adde Platonem *in Cratylo* c. 37. Τῷ δ' αὖ ἰ πρὸς τὰ λεπτὰ πάντα, ἃ δὴ μάλιστα διὰ πάντων ἴοι ἄν· διὰ ταῦτα τὸ ἰέναι, καὶ τὸ ἵεσθαι διὰ τοῦ ἰ ἀπομιμεῖται: Et sane ut Ἶρος, qui ἀπαγγέλλεσκε κιών, ita et Ἶρις dicta est ab *eundo*. Nam perpetuum ipsi Epitheton ταχεῖα: et Διὸς ἄγγελος: Homer. *Iliad.* Ω. 144; Σ. 182; cf. Hesiod. Theog. v. 781. (de quo loco vid. Toll. Exc. II. ad Apoll. Soph. *Lex Hom.*); et Heracl. Ponticus *All. Homer.* p. 448 ed. Gal: Καὶ Ὅμηρος τὴν ἀπεσταλμένην Ἶριν, ἄγγελον τοῦ Διός, τὸν εἴροντα λόγον ὑφίσταται. Aliam hic obiter observa *Iridis* Etymologiam ἀπὸ τοῦ εἴρειν *a dicendo*: quam etiam proposuit Plato *in Cratylo* c. 25, si locus germanus est. Sed ego eam vix admiserim; quamvis receptioribus quoque, Meziriaco, ad Ovid. Heroid. I. 18 (T. I. p. 92. ubi ope rarum vitio editum est εἴρω) Vossio, et J. Dan. Lennepio, in *Etymologicis suis*, eandem placuisse videam.

g. v. 85.

Ψευδωνύμως σε δαίμονες Προμηθέα
Καλοῦσι· αὐτὸν γάρ σε δεῖ προμηθέως —

Neque temperare is sibi potuit, quin et alibi in eâdem fabulâ sic cavillaretur [h]. Utque aliorum exempla omittam, a viris doctis diligenter collecta [i], adferam tria, quae apud illos legere me haud memini. Primum est Epigramma in Cleonem cantorem [l]:

Χαῖρε Κλέων, Θύβας πατρίδ' ἐψάλισας.

alterum Plautinum [m], ad Graecae, puto, fabulae quam vertebat, imitationem:

PSEUDOLUS.

Quis istic 'st?

CHARINUS.

Charinus.

PSEUDOLUS.

Euge: χαίρειν Χάρινον *volo.*

tertium vero, quod ego ab auctoris sui gravitate alienum puto: „ Ut ille qui nunc etiam, amissâ „ voce, *furit* in Republicâ *Furius*". Est enim Ciceronianum [n]. Vellem, inquam, hoc a tanto viro, cer-

h. v. 723.

i. Scal. Conj. ad Varr. p. 145. (T. II. p. 231. ed. Bip.); H. Col. ad Enn. fr. p. 240; Burm. ad Ovid. Heroid. h. l. et ad Lotich. VIII. 65; Schutz ad Aeschyl. Prom. v. 723.

l. Apud Athen. *Dipn* I. 16. p. 19. C.

m. *Pseud.* II. 4, 22.

n. *De Orat.* II. 22. — Eundem jocum captavit Ovidius:

Cur

certe per serium sermonem, abesset. Neque ipse ejus auctoritatis virum reprehendere sustinerem, nisi a prudentissimo venustatis et elegantiae existimatore, Quinctiliano *, hoc nonnisi in jocis admitti, in seriis autem et gravibus rebus ipsum hunc jocum frigide interpositum censeri, adeoque in Ciceronis Verrinis ejus exempla improbari, viderem. Etjam, quandoquidem ad judicium de istis lusibus ferendum perveni, praeterire nequeo Varronis hoc, de Ennii simili cavillatione *:

„ Apud Ennium:

„ *Andromachae nomen qui indidit, recte indidit;*

„ item:

„ *Quapropter Parim pastores nunc Alexandrum vocant.*

„ Imitari dum voluit Euripidem, et ponere etymon, est lapsus. Nam Euripides quod Graeca posuit, etyma sunt aperta. Ille ait ideò nomen additum *Andromachae*, quod ἀνδρὶ μάχεται· hoc Ennii quis potest intelligere in versu significare:

„ *Andromachae nomen qui indidit, recte indidit?*

„ Aut

Cur ego non dicam, Furia, te furiam?, quod frigidum recte censet Quintilianus *I. O.* IX, 3 p. 168. T. II. ed. Bip.) Neque secus ego de Lactantio judicaverim, qui ait: *Non ergo ille* FURIUS, *sed plane* FURIOSUS *fuit. qui praeturam hoc ministerio se putavit ornare. Div. Inst.* l. I. c. 21. p. 73. ed. Thysii. L. B. 1652.

o. *Inst. Orat.* V 10. (T. I. p. 388.) coll. l. VI. c. 3. (p. 366 et 376. ed. Bip.)

p. l. VI. de LL. p. 78. (T. I. p. 96. ed. Bip.)

„ aut *Alexandrum* ab eo appellatum in Graecis,
„ qui *Paris* fuisset"?

At frigidiora sunt quae a recentibus ficta vidi. Vir doctus, cujus nomen mihi excidit, in Epigrammate in Buchananum, natione Scotum:

> Ἔξω, Βουχάναν, πατρὶς Σκοτία σοι, οὐδ' ἐπιμέξῃ
> Σὺ Σκότος, οὐ σκότος σύ, ἀλλὰ φάος Σκοτίης.

Tum multorum versus de Pontano, *Macrobium* edente: e quibus Raphelengius:

> MACROBII *falsum nomen jam penè vetustas*
> *Fecerat, et doctis invida barbaries;*
> . . . .
> *At tu* MACROBIO *nomen, Pontane, decusque*
> *Restituis, libris fretus et ingenio.*
> *Vide: hic* TE *rursum felix labor, auspice Musâ,*
> *Efficiet famâ perpete* MACROBIUM.

Denique Westerwyekius in praeceptoris sui Min-Ellii editionem Flori:

> *In* FLORO FLORET *praeclari fama Min-Elli,*
> *Nec* FLOS *marcescet nocte dieve viri:*
> *Quin tumulo ex ipso, fumatâque favillâ*
> *Nascentur laudis* LILIA *perpetuae, caet.*

At exemplorum jam, credo, abunde recensitum. Itaque ad propositum Ovidii Distichon redeamus. Equidem, ut versum Pentametrum, qui Hexametri sui mentem non satis aperte explicat, aliquantò dilucidiorem, et simul reliquorum exemplorum, quorum vim et formam exprimere voluisse poëta videtur, similiorem reddam, sic corrigi posse existimem:

Mi.

Mirabar, quare tibi nomen Acontius esset:
Quod FACIAS *longe* VULNERA, NOMEN *habes.*

Dicas reddita esse e Graeco quodam Tragico: cujus versum tibi sic possis fingere:

Ἐπωνύμως γ' Ἀκόντιος κικλήσκεαι.
Πόρρωθεν αὐτὰ' ἀκοντίῳ βάλλεις τρῶσιν.

Aut sic:

Σοὶ μεν ἐπωνύμως τοὔνομ' ἐξ Ἀκοντίου,
Δεινὰ ἄκοντος ἐς τιτρώσκεις τηλόθεν.

Nam certe in altero versu, ubi caussa redditur, desiderari ~~videtur quaedam vocis nomen~~, aut similis, iterata mentio. Unde autem sit orta corruptela quaerentibus, simplicissime responderi poterit, non multum utique distare: VVLNERANOMEN, et VVLNVSACVMEN. Et tamen fateor aliquando mihi adrisisse aliam caussae erroris explicationem. Haec quae sit, aperiam. Principio per se intelligitur *acuminis* vocabulum, siquis cum *jaculi* voce conjunctum inveniret, facillime ad illam referri, atque adeo in contextum, quocumque tandem modo, inferri potuisse. *Si quis inveniret*, inquam: nam puto hic adscriptam fuisse ad marginem. Nec tamen glossema fuit ad explicanda verba *Acontius*, aut *jaculum*, aut sententiam Ovidii; sed nota Critica, a Grammatico profecta. Ejusmodi bene multas notas a veteribus Grammaticis et aliis, ad varios usus, usurpari solitas, ipsi passim veteres [q], et classico loco Dio-

ge-

q Gellius XVII, 9. ubi vid. intt; Hephaest. in Enchirid; Schol. Aristoph. *Plut.* v. 253; *Nub.* 518; Isidor. *Orig.* I. 20.

genes Laërtius de Platonis Codicibus agens [r], tradiderunt. A Latinia, verbi gratiâ, si quando perplacebat auctoris locus, adscribebatur duplex *L. L.* pro *Loco Laudabili*, vel *L. Sent.* pro *Laudabili sententia.* Atque ejusmodi quid se fecisse ostendit Seneca [s], qui in Epistolâ: Mittam itaque, inquit, ipsos tibi libros: et, ne multum operae impendas, „ dum passim profutura sectaris, imponam notas, ut „ ad ea ipsa protinus, quae probo et miror, acce„ daa" [t]. Ejusmodi notae, a recentioribus hominibus adpositae, in libris miras saepe lectiones pepererunt. Quid facias, oro, hac Varroniano [*]: „ Ideo„ que in iis, [oporothecis] camaras marmorato et „ parietes pavimentaque *L. Laudabiliter* faciunt „ quo frigidius sit"; nisi, inquam, e modò dictis intelligas, τὸ *L. Laudabiliter* ex ejusmodi notâ esse profectum? — Tum, quod in Luciliano apud Diomeden [u] exemplo legitur;

Et

r. III. 65. ubi vid. omnino Casaub. et Menag.

s. Epist. VI.

t. De hoc more consule, praeter interpretes jam laudatos Scal. ad Varr. de Re Rust. p. 210. sqq; et quos citat Gron. ad Gell.; Wouwer. *Polym.* c. 13. et Rames *Var. Lect.* III. 7. Citatos praeterea inveni a viro Docto, (de quo dicam infra in Varrone, Sect. III § 1.) ad Schol. Aristoph Plut. v. 863 hos auctores: „ *Scholiasten Eurip. Hippol. v.* 1192 et „ *ibi Cl. Barnes; et Eust ad Odyss* H *p.* 120 *l.* 15. *et sqq.* „ *unde sua hausit H. Steph. in Thes. L. Graec. T. II. in initio* „ *c VII. VIII.*"

* De R. R. I. 59.

u. Lib. I. col. 364. Put.

Et suffocare LACUNAS
Conatur —

quid hoc sibi velle credas? Equidem, qui suffocetur homo, aliudve animal, intelligo: qua ratione verò *Lacuna*, non item. An, obsecro, non manifestum, memoriae causâ ab aliquo in margine notatum fuisse: *esse lacunam in hoc versu?* Nam profecto, si hanc vocem *lacunas* demas, Heroicus non amplius stare poterit. Et reverâ illa non habetur in aliis editionibus, ut in Buschii Colon. 1523. 8°. (quod ex Bondami collatione comperi) nec in libris quia à Douså inventa sit oportet, quia ab illo in editione Lucilii [x] non est expressa. Ergò eodem modo existimo in Ovidio aliquem adscribere potuisse *acumen*: quod in hac auctoris cavillatione *acumen inesse* judicaret. At unde tam barbare dixit *acumen* pro *argutiâ*, *lusu?* Credo, malè intellecto Ciceronis loco, apud quem [y] Caesar de jocis disputans etiam hoc lusuum genus tangit: „ Etiam interpretatio nominis habet *acumen*, cum ad „ ridiculum convertas, quamobrem quis ita vocetur; „ ut ego nuper Nummium divisorem, ut Neoptole„ mum ad Trojam, sic illum in campo Martio nomen „ invenisse". Inde τὸ *acumen* hausit iste nugator.

At verò, inquis, credibile vix est, ut *acumen*, quando hic de jaculo agitur, aliò pertineat, atque ex alia

x. Vid. Fragm. e libro Inc. n. 146. p. 18.
y. *De Orat.* II. 63.

aliâ causså huc irrepserit, utque saltem non sit putandum interpretatio nominum *Acontius*, aut *jaculum*. Verum hoc et alibi accidit. Cujus rei ecce non levem auctorem, aut critices imperitum tibi dabo Ernestum. Res sic se habet. Narrat apud Ciceronem, (loco paulo ante illa, quae modo retuli, occurrente *) Caesar de *judicio* quodam, his verbis: „ Pusillus testis processit. *Licet*. inquit, *rogare?* „ Philippus. Tum quaesitor properans: *Modo breviter*. Hic ille: *Non accusabis. perpusillum rogabo*. Ridicule. sed sedebat judex L. Aurifex, „ brevior etiam quam testis ipse. omnis est risus in „ judicem conversus. Visum est totum scurrile JUDICIUM". Hoc *judicii* vocabulum rejicit Ernestus: credo, jure summo: oriundum e simile adnotatione, JUDICIUM *hoc esse Ciceronis de illo dicto*. Irrepsit in contextum, quia revera de *judicio*, sed alio sensu, agit Ciceronis locus. Sic ergo *acumen* in Ovidio a quopiam notari potuit: dein, quia sermo esset de *jaculo* et *vulneribus*, in ipsos versus male inferri.

*) c. 60.

CA-

CAPUT SEPTIMUM.

PLAUTUS.

Menaechm. V. 2. 11.

Ut ad Nonium quaedam Bondami observationes, summi Wyttenbachii humanitate, inspexi; ita ad Plautum nonnullas *Joh. Isaacii Pontani* conjecturas habeo, quas venerandi viri Marronii, apud Parisinos Verbi Divini ministri, beneficio acceptas refero. Adscriptae sunt hae ad marginem Gulielmii *Plautinarum Quaestionum.* Earum specimen hoc seligo, quia hujus occasione quaedam de Plautini cujusdam cantici metro mihi in mentem venerunt:

Quidnam hoc sit negotii, quod filia sic
Repente expetit me, ut ad sese irem.

Ita leguntur hi versus in editione, quam sequor, Ernestiana. At Gulielmius *) e Manuscriptis citat:

QUID *hoc sit negotii quod filia sic*
Repente expetit me, AD SESE ME ET IREM:

suspicatus ipse in fine legendum esse:

Ex-

*) *Plaut. Quaest.* in *Misc.* c. III. p. 180.

Expetit me ad sese a me ut irem.

ubi sic Pontanus. „ Puto fuisse *expetit mea.* Et fe„ re deputo.' Nullus locus magis juvat sententiam „ Gulielmii quam [qui] in Epidico est [ita] [b]:

„ — *Abeamus intro hunc ad me.*

„ [Tamen cogitetur.] [c]."

Ego virorum doctorum vestigiis insistens, et donec e codicibus quis meliora proferat, totum hoc canticum e versibus Bacchiacis sic constituam. Hoc primum dico: Bacchiaci, qui constant e brevi et duabus longis, etiam miscentur in versu cum Molossis, qui e tribus longis consistunt. Interdum verò pro unâ longâ syllabâ recipiunt duas breves. Scanduntur autem per dipodiam. Sed singulos pedes ego, perspicuitatis caussâ, distinguam, atque siquid praeterea erit insolentius, appositis apicibus difficultatem explanari studebo.

Ut aetas | mea est atque ut hoc usus facto est
Gradum proferam, progredi properabo.
Sed id quam | facilĕ sit | MIHĬ, haud | sum falsus
Nam pernicitas deserit: consitus sum
Senectute: onustum | gero corpus: vires |
Reliquere. ut aetas | mălă, merx EST | MĂLĂ tergo.
Nam res plurimas pessumas, cum advenit, FĔRT:
Quas sĭ autumem omneis | nimis longus | sermo sit |
Sed

b. III. 2. 43.
c. Quae uncinis inclusi, ea tantum divinando assecutus sum.

Sed haec res | mihi in pectore et corde dura est,
Quidnam hoc sit | negoti | quod FILIĀ
Repente ex|petit SIC | *me at ad* SE|SĒD *irem* [d];
Nēc quid sit | MĪ *certiūs | facit,* QUID
VELIT, *quid | mē arcessat.*
Vērum prŏpē|modum jam | scio quid | siēt rēi:
Crēdō cūm | viro li|tigium na|tum esse ăliquod:
Ita istaec | solent, quae | viros sub|servire
Sibi pos|tulant, do|te fretae | feroces:
Et illi | quoque haud abs|tinent saepe culpā.
Vērum ēst mŏdŭs | tămēn quoad | pati uxo|rem oportet:
Nēc pol fi|lia unquam | patrem ac|cessit ad se,
Nisi aut quid | COMMISSID | *aut jūrgiī | est caussa.*
SED ID QUIC|QUID *est jam | sciam: atque ec|cam eampse*
ante aedeis | et ejus | VIRUM VIDĕ|Ŏ TRISTEM:
Id 'st quod sus|picabar.

Inter hos autem versus inveniuntur duo versus trium tantùm pedum., De quo genere summus artis metricae magister Hermannus dubitare se dicit. Cum enim eorum exempla, a se in Plauto reperta, jam proposuisset •, addit postea f, fieri posse ut haec et similes apud Plautum Bacchiacorum anomaliae ex corruptelâ oriantur, ita ut saepe ipse, quando vocabulum quoddam in duos versus distraxisset, Bacchiacos tetrametros aut hexametros integros Plauto restituere potuerit.

Igl-

d. Aut fortasse *me ut ad sese adirem*, Non repugnat varians lectio e Gulielmio e Matis enotata,

e. *De metris.* l. II. 21. p. 199. sqq.

f. Ibid. p. 204.

H

Igitur ne hic quoque cuiquam dubitationis locus relinquatur, age et nos, quomodo nostrum canticum ad hunc modum expurgari possit, videamus. Omittenda nimirum est prior clausula, hoc pacto:

10. *Quidnam hoc sit | negoti | quod filiă |* REPENTE EXPETIT SIC | *me ut ad sesĕ irem* | NEC QUID SIT MI CERTIŌS | FACIT, QUID | VELIT, QUID | ME ARCESSAT?

qua ratione versuum numerus uno fiet minor.

Post hos Bacchiacos, qui, quocumque modo refingas, saltem unâ clausulâ terminantur, metrum in sequenti diverbio ad Trochaicos octonarios catalecticos delabitur.

CAPUT OCTAVUM.

SCHOLIASTES ARISTOPHANIS.

Ad Nubium v. 652.

Veteres auctorum interpretes, qui Scholiastae fere dicuntur, ut emendate legantur, haud minus nostra interesse arbitror, quam ut ipsi auctores. Hi enim al jure fontes habentur, at Scholiastae certe sunt canales, quorum ope fontes usui publico aptantur. Quare si canales aut minus puri sunt, aut obturati, per eos etiam vel impurae, vel nullae a fontibus aquae veniant necesse est.

Sic omnium eruditorum consensu sordibus inquinatus est Aristophanis Scholiastes, quo loco de Rhythmo, de Enoplio, et Dactylico exponit, ad illos auctoris sui versus:

> Εἶτ' ἐπαΐειν, ὁποῖός ἐστι τῶν ῥυθμῶν
> Κατ' ἐνόπλιον, χ' ὁποῖος αὖ κατὰ δάκτυλον·

at quomodo possit expurgari, haud ita convenit. In cujus verbis nunc paucula tantum, quae de *Rhythmo* agunt, tractabo. Interpres igitur ad illa verba: κατὰ δάκτυλον, sic ait: „ Ἀριθμητικόν ἐστι μέτρον· ἔστι δὲ ῥυθμὸς, κρούματος εἶδος κατὰ δάκτυλον, ᾧ χρῶνται

οἱ αὐληταί. ὁ κατὰ δάκτυλον ῥυθμὸς ἐστιν ὁ ἐν ἴσῳ λόγος· ὁ δὲ ἐνόπλιος καὶ προςῳδιακὸς καλούμενος ὑπό τινων, σύγκειται ἐκ σπονδείου, καὶ πυῤῥιχίου, καὶ τροχαίου, καὶ ἰάμβου. συνεμπίπτει, δὲ οὗτος ἤτοι τριποδίᾳ ἀναπαιστικῇ, ἢ βάσεσι δυσὶν ἀναπαιστικῇ καὶ ἰωνικῇ".

Metrum *Arithmeticum*, quod hic in principio Scholii dicitur, non offendisse videtur Ernestum, quod miror. At Meibomius [a] voluit *ἀναπαιστικόν*: parum fortasse feliciter. — Jam illa: *ἐστι δὲ ῥυθμὸς κρούματος εἶδος κατὰ δάκτυλον*, quae falsi quid atque absoni docent, ab Ernesto quodammodo corriguntur hac transpositione: *ἐστι δὲ* ῬΥΘΜΟ'Σ ΚΑΤΑ' ΔΑ'ΚΤΥΛΟΝ *εἶδος κρούματος*. Sed ego totum locum probabilius sic constitui posse existimo: *Κατὰ δάκτυλον*] ῬΥΘΜΙΚΟ'Ν *ἐστι μέτρον*. *Ἔστι δὲ ῥυθμὸς, κρούματος* ΕἹ'ΔΟΣ, *Ὧι χρῶνται οἱ αὐληταί*. *Ὁ κατὰ δάκτυλον ῥυθμὸς ἐστιν ὁ ἐν ἴσῳ λόγος*. *Ὁ δὲ ἐνόπλιος*, κ. τ. λ. Sic enim in hoc Scholio omnia apte inter se cohaerent: quod age videamus. *Ῥυθμὸς* et *ἄριθμος*, quorum alterum ab altero derivatur, significatione verò non multum distat [b], imo antiquitus eâdem esse debuit, facillime, cum utrumque scripturâ ferè conveniat, potuerunt confundi. — Atque ut hic *ὁ κατὰ δάκτυλον ῥυθμὸς* dicitur, ita plane Cicero *Dactylicum numerum* [c] usurpavit. At totam rem ex ipsi-

a. Ad Aristid. Quintil. p. 264. *in Auct. Rei Mus.*

b. Utrumque *numerum* significat. Varro ap. Diom. l. III, col. 512. Puts; Cic. *Orat.* 20 et 51; cf. Scal. *Poët.* II. 2, p. m 139.

c. *Orat*, 57. pr. — cf. omnino *Clavis Cic.* in voce.

sius verbis praecedentibus discamus [c]: „ Nullus est „ igitur *numerus* extra poëticos: propterea quod defi- „ nita sunt genera numerorum. nam omnis talis est „ ut unus sit e tribus. Pes enim, qui adhibetur ad „ numeros, partitur in tria, ut necesse sit partem „ pedis aut aequalem alteri parti, aut altero tanto, „ aut sesqui esse majorem. ita fit aequalis *dactylus*, „ duplex iambus, sesqui paeon". Et quod strictim ad propositum suum Cicero, idem latius exponit artis magister Martianus Capella [d]: „ *Rhythmici* „ verò genera sunt tria, quae alia *Dactylica*, Iam- „ bica, Paeonica nominantur. Alia aequalia, alia „ hemiolia, alia [e] duplicia: denique etiam epitritus „ sociatur. Etenim unus semper cum sibi fuerit „ aptatus, ut aequalis convenit. Tria vero ad duo, „ numerus hemiolius est. Duplex vero qui fuerit „ ad singularem, geminam rationem tam syllabarum „ quam temporum servat. Quatuor vero ad tria, „ epitriti modum faciunt. — Sed quae aequalia di- „ ximus eadem dactylica esse dicimus". caet. Huc usque credo rem non valde esse dubiam. At sequentia de *Catenoplio*, quae sunt magis intricata, ex cum Scholio praecedenti aliquandò datâ operâ tractaturum me spero.

c. c. 56. n°. 188.

d. l. IX. p. 329. ed. Grot; p. 319. ed. B. Vulc.

e. Ita legendum ex conjecturâ censui, donec a Msto uno Scriveriano, (apud Meibom. ad h. l. in *Ret. Mus. Auct.* T. II. p. 192) confirmatum vidi: at Meibomius non recepit. Idem ubique *alias*, e Mstis suis, exhibuit.

CAPUT NONUM.

M. TERENTIUS VARRO.

PROOEMIUM.

Varronis inter doctissimos nomen non minus est celebre, quam Ciceronis inter eloquentissimos. Et tamen adeo aequalet huc usque Varro, adeo inconditus, adeo inornatus hucusque prodiit, ut fragmenta festivissimarum Satyrarum, quae reliqua habemus, et ipsi eruditissimi De Lingua Latina libri, propter insignem corruptelam, plerumque non intelligi, nedum legi sine fastidio queant. Reliquis Grammaticis, Nonio ac Festo, multi viri litterati novissimo saeculo opem adferre moliti sunt, sed proh dolor! ante finitum laborem morte sunt intercepti; Varroni nullus, quod sciam, ne tentavit quidem manum admovere. Optima hactenus, aut, ut verius dicam, inter omnes minime mala editio est Bipontina 1788. a. voll. 8°. Expressit ea, ni fallor, Dordracenam anni 1619, aut Amstelodamensem, 1623. Quidquid sit, haec ipsa tamen adeo parum ad lectorum usus adaptata est, ut longissimorum Varronis librorum, in quibus auctor ab uno ad aliud argumentum saltuatim procedat, nulla sit distinctio per capitum aut paragraphorum numeros notata a; neque exempla ab in-

a. Quod tamen in *Corpore Auct. Ling. Lat.* a Gothofr. praeha-

auctore frequenter relata, et quae contextum mirifice perturbent, litterarum figurâ discernantur; tum, quod pessimum est, adeò parum ad intellectum illustrata, ut Varronis fragmenta, quae omnia simul sumta ipsos de Linguâ Latinâ libros mole multum superent, edantur ad exemplar corruptissimarum Nonii editionum, nullâ optimae Mercerianae, quae anno 1614 prodiit, ratione habitâ.

Ergò ut jam dudum optavi ut exsisteret aliquis, cui vel unius scripti libri esset copia, et ad hunc laborem otii satis, quique adeo ad novam castigatamque operum grammaticorum et fragmentorum Varronis editionem accingere se vellet; ita vix dicere possum quantum gaudii ceperim, quum ejusmodi editionem Mstorum ope emendatam, et adnotatione indicibusque illustratam a viro docto *G. Dav. Koelero* promitti nobis intellexi [b]. Hanc igitur dum avidissime exspecto, interim quod ego in fragmentis et subinde in libris qui integri habentur, vel de conjecturâ, vel ex Nonii Codicibus praestare potero, id proferam, sperans fore, ut eruditissimo illi viro non plane nihil egisse videar.

SEC.

babiliter factum erat. — De omissis Indicibus non queror, quorum rationem in nullis editionibus habere potuerunt eruditi Bipontini.

b. Vid. *Catalogum librorum Nundinis Paschalibus Lipsiensibus superioris anni promissorum.*

SECTIO PRIMA.

Satyrae Aboriginum, περὶ ἀνθρώπων φύσεως, fragmentum.

Apud NONIUM *in v. Sperem* (II. 788.)

Varr. Ed. Bip. T. I. p. 260.

In hac, ut recte docent Turnebus [c] et Popma [d], haud dubie de hominum culturâ et educatione, non sine satyricâ libertate, disputavit auctor. Ipsum insigniter depravatum fragmentum, apud Nonium, ab Iosiâ Mercero editum, sic legitur:

„ *Ita sublimis speribus jactato nominativo voli-*
„ *tantis altos nitens trudito.*"

Ipse autem sic commentatur Mercerus: „ *Iactato*
„ *nominativo*). Ita liber optimus: nam in aliis
„ hoc exemplum deërat, omissum ob insignem de-
„ pravationem, cui non medeor. Nam quod Vir
„ Doctus, qui Varronis fragmenta edidit, ex istis
„ ruinis effinxit, nemo probabit, qui sciet quid sit
„ veteres libros tractare".

Vere judicavit Mercerus. Intelligit haud dubie Popmam, qui sic, ferè dixerim, corrupit has reliquias:

Su

c. *Adv.* XVII. 23. et XXIX. 21.
d. Ad Varr. fr. T. II. p. 318. ed. Bip.

Sublimes speribus natato maria,
Volitantes altos montes trudito.

in quibus ego quidem nec ullam sententiam probabilem capio, neque numeros audio.

Ego, antequam ipse quid tentem, quae sit scripturae varietas, praemonebo:

Ita: abest edd. antiq.; et C. Pal, sic et conjicit Anon. Jantz;
speribus: *superbus*, C. Gud.
jactato nominativo volit —: *jactato notio volit* —, edd. ant. et Cod. Dorv.; *jactato nomine eivo volit* —, C. Gud, *jactato noto volitantis*, C. Pal. — Junius autem e Mstis suis notat *jactato nomina tuo volit* —; et Anon. Jantz. conjicit *jactator ut otio volit* —.
In Cod. Anonymi Oudendorpiani exempla hujus articuli Noniani desiderantur. At Vossianus videtur cum Merceri editâ lectione convenire.

Ergo cum melior, majorque adeo pars codicum obferat *nomina tevo* vel *tuo*, ego sic censeo emaculari posse inquinatissimam hanc lectionem:

——— Ita sublimes speribus,
Jactato nomine tuo, volitantes alto nido extrudito.

Hic memoriâ repeti velim satyrae *Aboriginum* argumentum, hominum ajo educationem, et ingeniorum culturam. Nonne tunc planum fit, sermonem esse de *liberis*? Ecquid aliud quam conversio ad civem superbum, qui liberos suos, quamvis tenellae aetatis, tamen nomine paterno jam insolescentes, ad ambitiosum vitae genus instruit, quasi avis pullos,

los, vix aut ne vix quidam volantes, nido pellit? Sanè non minor apud Romanos, quam inter hodiernas gentes, obtinebat superbia, et majorum, generisque nobilis, et imaginum jactatio. Sic Appium Cicero castigat [e]: Illud idem Pausanias dicebat te dixisse: „*Quidni? Appius Lentulo, Lentulus Appio pro-* „*cessit obviam; Cicero Appio noluit?* Quaeso „etiamne tu —— ullam Appietatem aut Lentuli- „tatem valere apud me plus quam ornamenta vir- „tutis existimas? Cum ea consecutus nondum „eram, quae sunt hominum opinionibus amplissi- „ma, tamen illa vestra nomina nunquam sum ad- „miratus: viros esse, qui ea vobis reliquissent, „magnos arbitrabar".

Et eòdem spectat Horatius [f]:

His me consolor, victurus suavius ac si
Quaestor avus, pater atque meus, patruusque fuissent.

Juvenalis [g]:

Malo Venusinam, quam te, Cornelia, mater
Gracchorum, magnus si cum virtutibus adfers
Grande supercilium, et numeras in dote triumphos.

Neque minus in eandem sententiam operae pretium est legisse integram hujus satyram Octavam, cujus initium est:

Stem-

e. *Epist. ad Fam.* III. 7.
f. *Satyr.* I. 6. in fin.
g. *Sat.* VI. 166.

Stemmata quid faciunt? quid prodest, Pontice, longo
Sanguine censeri, pictosque ostendere vultus
Majorum? —

Jam ut ad fragmentum Varronis revertamur, cum universe ei insit allegoria ab avibus desumta, tum *jactare nomen liberi* venuste ad eandem rationem dicuntur qua volucres, item homines, Diive qui à poëtis volasse finguntur, *jactant alas*. Ovidius [h]:

Et quamvis Boreas jactatis insonet alis;

et passim [i].
Jam vero quod sequitur:

—— *volitanteis alto nido extrudito:*

hoc et ipsum ad avium quarundam indolem respicit. Quippe quarum id maxime genus, quod carne pascitur, reverâ pullos suos, simulac volare incipiunt, pellit e nido, ut ipsi victum sibi quaerant. De aquilis hoc docet Plinius [l]: sed ita ut unam speciem *Melanoeti* excipiat. „ Melanoetos, inquit (eadem „ et *Valeria*) sola aquilarum foetus suos alit: cae- „ terae, ut dicemus, fugant." Deinde et cornicem solam inter carnivoras ait hunc morem non servare [m]: „ Praeterea sola haec etiam volantes pullos ali-

h. *Trist.* III. 10. 45.
i. Vid. eundem *A. A.* II. 61; *Met.* II. 835; IV. 788.
l. *Hist. Nat.* X. 3.
m. l. *eod.* c. 14.

„ aliquandiu pascit:" — nam mox adjicit [n]: „ caeterae omnes ex eodem genere pellunt nidis pullos, „ ac volare cogunt: sicut et corvi."

Et verò frequentissima veteribus est haec, vel puerorum respectu parentum, vel etiam discipulorum, respectu praeceptoris, comparatio cum avium foetu. De se ipso ad librum suum Horatius [o]:

Cum tibi sol tepidus plures admoverit aures,
Me libertino natum patre, et in tenui re,
Majores pennas nido extendisse loqueris.

At cuinam ignotum est ejusdem nobilissimum de Drusi laudibus carmen [p], cujus initium est:

Qualem ministrum fulminis alitem
. . . .
Olim iuventas, et patrius vigor,
Nido laborum propulit inscium,
Vernique jam nimbis remotis,
Insolitos docuere nisus
Venti paventem; mox in ovilia
Demisit hostem vividus impetus,
Nunc in reluctantes dracones
Egit amor dapis, atque pugnae;
. . . .
Videre Rhaetis bella sub Alpibus
Drusum gerentem Vindelici: caet.

Ac de *discipulis* porro festivissima est Ciceronis comparatio. Cum enim in disputationibus de Orato-

n. c. 15 pr.
o. *Epist.* I. 20. 20.
p. *Od.* IV. 4.

tore [q] Antonius de *Corace* et *Tisia*, qui primi artem oratoriam scripto tradidissent, mentionem fecisset, respondet Crassus [r], „ Quare *Coracem* [s] „ istum vestrum patiamur nos quidem pullos suos „ excludere in nido, qui evolent, clamatores odiosi „ ac molesti." — E quo loco dicas fortasse in nostro Varroniano pro *nido extrudito* legendum esse *nido excludito*, et possis comparare etiam Plautinum illud [t]

Excludito mihi hercle oculum si dedero. ———

sed *extrudito* propius accedit ad codicum scripturam; et, ad Grammatices rationem, confirmatur aliis Plauti et Ciceronis locis. Quorum prior [u]:

Jam hercle ego illam uxorem ducam et Junonem EXTRUDAM *foras*;

posterior autem sic [x]: „ Nam te in viam, simulac „ perpaullulum gustaris, *extrudam*, et ejiciam." Sed hoc obiter. Ad discipulos redeo: de quorum institutione eâdem comparatione utentem videas Quinc-

q. *De Orat.* I, 21. cf. *Brut.* 12; *Quinct.* *I. O.* III. 1. (T. I. p. 148. ed. Bip.)
r. l. III. c. 21.
s. Quod Latine *Corvum* significat.
t. *Pseud.* I. 5. 95.
u. *Poenul.* V. 4. 48.
x. *De Orat.* II. 58.

Quinctilianum [y]: „ Cui rei simile quiddam facientes „ aves cernimus, quae teneris infirmisque foetibus „ cibos ore suo collatos partiuntur: at cum visi sunt „ adulti, paullum egredi nidis et circumvolare se- „ dem illam, praecedentes ipsae docent: tum, ex- „ pertas vires, libero coelo suaeque ipsorum fidu- „ ciae permittunt."

At de figurâ satis. Vocem *sublimeis* si quis exemplo confirmatam cupiat, dabo illum non absimilem Grammatici Marii Victorini locum [z]. „ Quibus ta- „ men sic respondendum est, naturalem nobis hanc „ Musicam haud alias quam affectus animo, corpo- „ rique motus exsistere. Namque, — nonne multa „ videmus animalia, mox ut lucis usuram hause- „ rint, proût natura sui [a] cuique est, alia pennarum „ vibratione *sublime aëris petere*, alia" caet. — Is, nam hoc mihi addendum est, videtur habere ex Quinctiliani Institutionum exordio: „ Ac sicut aves „ ad volatum, equi ad cursum, ad saevitiam ferae „ gignuntur; ita nobis propria est mentis agitatio „ atque sollertia." Nam etsi facile contingat, ut duo scriptores, alter altero non inspecto, eâdem figurâ utantur, tamen hanc esse imitationem credo. Sicut Platonem Graeci sophistae, sic Latini Grammatici Quinctilianum misere spoliarunt.

Restat, ut moneam de simillimis allegoriis Varronia-

y. *I. O.* II. 6. in fine.
z. *Art. Gramm.* l. IV. in fine c. 2604. Puts.
a. Lego *sua*.

nianis, alterâ e satyrâ *Virgulâ Divinâ*, alterâ e satyrâ *Marcipore.* Has e compluribus fragmentis quae servavit Nonius, collegit et edidit Josephus Scaliger [b], ita ut Busmannus [c], de priore quidem loco agens, *egregie illa fragmenta digesta et emendata* censeat. Ergò et nos ambas, prout a Scaligero sunt editae, proposuisse satis habebimus:

Et pullos peperit fritinnientes,
Quos non lacte novo levata pascat,
Sed pancarpineo ocimo coactis,
~~*Libamenta legens caduca victus* d,~~
Ad quos tum volucres venit pusillos
Usque ad lumina nidica esca vilis e.

Ex Marcipore autem:

Repente noctis circiter meridiem,
Quum pictus aër fervidus late ignibus
Coeli choreas astricas ostenderet f,
Nubes aquales, frigido velo leves,
Coeli cavernas aureas subduxerant
Aquam vomentes inferam mortalibus g:

Varro

b. *Catal. Vett. Poët.* p. 257. sq; Conj. ad Varr. p. 158 (T. II. p. 245. ed. Bip.) cf. *Varronis fragmenta.* T. 2 p. 287 et 316. ejusd. edit.

c. Ad Anthol. l. III. Ep. 155. v. 5.

d. Nonius in *Cogere* (IV. 74), et in *Legere* (IV. 257).

e. Id. in *Vile* (XII. 42.)

f. Id in *Meridiem* (VI 16)

g. Id. in *Inferum* (I. 221) Versus *aquam vomentes*, excussus est in *Catal.* ed. m. L. B. 1595. Puto, operarum incuria.

Ventique frigido se ab axe eruperant,
Phrenetici septemtrionum filii,
Secum ferentes tegulas, ramos, sirus h;
At nos caduci naufragi ciconiae
Quarum bipennis fulminis plumas vapor i
Perussit, alte moesti in terram cecidimus

Allegorias dixi, quia, sub *avium* nomine, Varro homines, quos in Satyris carpit, intelligere videtur. Addere autem illas non sum veritus, quia grata esse solet observatio figurarum, quibus ad cogitationes suas exprimendas scriptor, nobilis praesertim, usus est.

SECTIO SECUNDA.

Libri V. de Linguâ Latinâ ad M. Marcellum Fragmentum.

(*Apud* SOSIP. CHARIS. *Inst. Gramm. l.* II. *in fine: col.* 215. *ed. Puts.*

Varr. Ed. Bip. T. I. p. 190.

Longè alius procul dubio fuit Varronis in Satyris ſtylus, atque in Didacticis libris, quos de Antiquita-ti-

h. Id. in *Sexus.* (I. 222.)
i. Id. in *Bipennis* (II. 82.)

tibus, de Linguâ Latinâ, de Comoediis Plautinis, de Re Rusticâ, caet. conscripsit. In Satyris, quantum e reliquiis jure colligatur, jucundus et festivus sermo, concitatus plerumque, frequens imaginibus et salibus. In Didacticis omnibus, si quid ex iis quos habemus superstites, judicare licet, oratio gravis illa quidem, sed ejusmodi ut eam ipse auctor [a], ne meum judicium recuses, *diligentius quam apertius prolatam arbitretur*, utque illius utique nomine Quinctilianus [b] Varronem dicat *plus scientiae collaturam quam eloquentiae*.

Sed tamen dicendum ut res se habet: obscuritas styli Varroniani non parum augetur per inemendatam prorsus ejus scriptorum lectionem: quorum corruptela (ut in aliis quoque Grammaticis accidit) frequentissimè orta est, ex eâ librariorum incuriâ, qua, si quando idem vocabulum, parvo intervallo interjecto, bis occurreret, (quod in vocum explicatione saepe locum habeat necesse est) illi omnia media in legendo praeterierunt, adeoque in describendo omiserunt. Notatus passim a Mercero ad Nonium [c] hic fons errorum, et ex ejusdem observatione in Varrone et aliis Grammaticis quaedam correxerunt et supple-

ve-

a. *De L. L.* l. IX. sub fin. p. 161. (T. I. p. 179. ed. Bip.)
b. *Inst. Orat.* X. 1. (T. II. p. 226. ed. Bip.)
c. v. *Munus.* Notarum p. 97; v. *Receptitium.* p. 108; v. *Prolubium.* p. 112. caet.

I

verunt olim H. Stephanus [d], et superiori saeculo Bondamus [e].

Ergò et nos videamus, an similis observatio nobis in hoc fragmento emendando sit profuturs. Citatur enim a Charisio Sosipatro, *de interjectione* agente, hic Varronis locus, quo is adserit *interjectiones* dici non modò orationis particulas, quae sonum tantum exprimant, *at*, *heu*, *eja*; sed etiam alias partes, quae per se aliud nomen gerant, verum, propter proferendi modum, animi affectum vehementem significent: ut, *me miserum! proh dolor!* Ipsum Sosipatrum audiamus: „ Ἦθη, ut ait Varro de Latino „ sermone l. V, nulli alii servare convenit, inquit [f], „ quam Titinio et Terentio; πάθη verò Trabea, „ inquit, et Attilius et Caecilius facile moverint [g].

„ *Egone illam? quae illum? quae me? quae non? sine modo!*
„ *Mori me malim! sentiet qui vir siem* [h]!

„ *Praecise, inquit Varro, generat animi pas-*
„ *sio*.

d. In libello cui titulus: *Ad Varronis assertiones analogiae sermonis Latini appendix*, ap. H. Steph. 1591. 8°, vid. c. 3. p. 8; cap. 6. p. 24.

e. *Var. Lect.* II. 8. p. 214. et 14. p. 351.

f. *Inquit*, quod habet Puts. male abundat: ortum e voce praec. — Nec habet ed. Bip. nec Valckenarius qui hunc locum citat in adn. ad Theocr. Adon. v. 29. p. 389. Mox idem post *Trabea*, ferri potest, et exhibet Valck. sed et h. l. abest a Bip.

g Sic melius praedicti, quam Putschius: *moverunt*.

h. Terent. *Eun.* I. 2. 207

„ *sionem, quod novi generis cum non sit interje-*
„ *ctio, sed ademtio tantum, interjecti animi caus-*
„ *sa vocitamus*;

„ *Tu me homo adigis ad insaniam* k,

„ irascentis et haec oratio est, licet nullâ sit in-
„ terjecta particula;

„ *Tun' consulis quicquam* l?

„ et haec irascentis oratio est;

„ *Tremo horreoque posquam aspexi hanc* m.

„ affectus ob amorem;

„ *Heus, heus, pater! heus, Hector* n!

„ a dolore mentis affectae;

„ *Mane, mane! porro ut audias* o.

„ cupiditatis affectus est".

Hactenus citatur Varro. In cujus unâ periodo, quae a voce *praecise* incipit, (nam sequentia exempla

k. Id. in *Adelph.* I. 2. 31.
l. Id. ibid. I. 2. 47.
m. Id. *Eun.* I. 2. 3.
n. Nescio cujus, sine dubio Tragici. Sed inter Scriverianа non invenio. Leg. autem ubique *heu!*
o. Neque hic locus cujus sit scio. Nisi Varro, memoriter citando Terentianum (ex *Andria* IV. 2. 35. *Mane! nondum scis etiam*) erraverit.

pla tantùm perspicuitatis causâ a me sunt adscripta) manifestum est, tum aliquid esse vitii, tum aliquid deesse. Vitium: unde enim pronomen *quod*, hoc genere neutro? Et lacuna: quandoquidem *vocitamus* dicitur; quid autem, quove modo vocitetur, non occurrit. Ergò vide, an sic probabilior locus restituatur, quod tamen codicum demum, siquis praesto habuerit [p], auctoritate poterit tuto pronunciari:

„ PRAECISUM, *inquit Varro*, GENUS, AD *animi passionem: quod* NOVUM GENUS *cum non „ sit interjectio, sed ademtio tantum, interjecti „ animi causâ*, INTERJECTIONEM *vocitamus*".

Habes jam liquidò caussam *τοῦ quod*, genere neutro positi. Habes etiam nomen quò transit actio verbi *vocitamus*. Quae omissio oritur, ut dictum est cum hanc disputationem incepi, e similitudine vocum praecedentium *interjecti animi*. Addam explicationis loco, ne cui Varronianus stylus molestiam facessat, ea quae de eodem argumento tradit Charisii exscriptor Diomedes [q]: „ Sunt plurimae dictio„ nes incertae intar adverbia et interjectiones, ut „ est *heus, heu, eja*. Etiam aliae partes orationis „ pro interjectione singulae, pluresve, ponuntur, „ ut est *en, ellum, amabo, nefas, pro nefas*, „ *ma-*

p. Quae ad Putschii Grammaticos adnotavit Bondamus, ea quidem mihi in usus meos convertere, summi Wyttenbachii humanitate, licuit; sed *Sosipatri Charisii* Codices ab illo collatos non invenio.

q. L. I. in fine col. 413. Puts.

„ *malum*, *miserum*, *infandum*. Has enim, ut „ asserunt multi, in quibusdam locis interjectio„ nes esse, ipse declarat affectus: et fere quicquid „ motus animus orationi inseruerit, quo detracto „ textus integer reperitur, numero interjectionis „ accedit".

SECTIO TERTIA.

Lib. VI. de Lingua Latina ad M. Tullium Ciceronem.

Varr. ed. Scal. p. 70; ed. Bip. T. I. p. 86.

§. 1.

Cascus et Casnar.

Varronis hic locus est satis notabilis, qui per plures paragraphos occupatum me teneat. Quare eum primò totum describam, quò melius contextus percipiatur:

„ *Cascum*, inquit, significat *vetus*. Ejus origo „ Sabina, quae usque radices in linguam Oscam „ egit. CASCUM *vetus* esse significat Ennius, cum ait:

„ *Quam primum casci populi genuere Latini*".

„ Eò magis Manilius quod ait:

„ *Cascum duxisse cascam non mirabile est, quoniam canoram*
„ *conficiebant nuptias.*

„ Item ostendit Papinii epigrammation, quod in „ adolescentem fecerat Cascam:

„ *Ridiculum est, cum te* CASCAM *tua dicit amica*
„ *Casca Philotonis, ipsa senex puerum.*
„ *Dic tu illam* PUSAM; *sic fiet mutua muli,*
„ *Nam vere pusus tu, tua amica senex 'st.*

„ Item ostendit quod oppidum vocatur *Cassinum*. „ Hoc enim a Sabineis orti Samnites tenuerunt et „ nunc nostri: unde et CASCINUM *forum vetus*. „ Item significant in Attellaneis aliquot *pupum se-* „ *nem*, quod Osci CASNAR appellant".

Ergò nunc de vocibus *Cascus* et *Casnar* aliquid dicendum videtur. Eas et alibi memorari videas. Ipse Varro alio loco [a] *Cascus* inter vetera vocabula reponit. Eandem vocem, referente Cicerone [b], usurpavit Ennius, et ab Ausonio [c] quoque, vetustatis affectatore, usurpatam novimus. Paulus Diaconus, Festi mutilator, *Cascum* explicat *antiquum*. Denique inde remansit gentis Serviliae et aliarum cognomen *Casca*, quod cum Tarquinii cognomine *Priscus* comparat Sigonius [d].

Cas-

a. De *L. L.* l. IX. p. 141. ed. Scal. (T. I. p. 179. ed. Bip.)
b. *Tusc.* I. 12.
c. *Epist.* XXII. 27.
d. *De Nomin. Roman.* c. 1461. l. 47. in. *Corp. Auct. Ling. Lat.* D. Gothofr.

Casnar verò minus est expeditum. Praeter Varronem, exponit quoque idem P. Diaconus, qui *senem* reddit. Etiam Nonius [e] habet *carnales*, *sedules*: sed locus integer non est. Quare, cum emendare nunc non possim, quia alia praemittenda sunt, de illo agam paragrapho sequenti [f]. Verum restat Quinctilianus, apud quem τὸ *Casnar* occurrere putarunt editores. Is sic ait [g]: „In oratione Labieni, „(sive illa Cornelii Galli est) in Pollionem, CASNAR, „*assectator*, e Galliâ ductum est". Repugnat hic locus caeterorum veterum doctrinae. Varro enim Oscum dicit esse vocabulum: omnesque vel *senem*, vel *antiquum* exponunt. Fuit quidem cum emendare et explicare tentarem; nam Gallicum esse potest, aequè atque Oscum vocabulum, communi e Celtico sermone origine: et legebam *Casnar*, *assentator*, quasi voci *Casnar* eadem illa calliditatis et versutiarum notio inesset, quae senibus, multum in fallaciâ versatis, tribuitur: nam inde est a *vetus*, *veterator*. Sed inspectâ Codicum varietate, quam Burmannus enotavit, quorum nullus *Casnar*, omnes *casamo*, aut aliquid simile exhibent, de hujus loci germanâ lectione potius ampliandum censui; et deinceps Spaldingium ejusdem sententiae auctorem esse non sine gaudio intellexi.

Ori-

e. II, 136.

f. p. 172.

g. *Inst. Orat.* I. 5. p. 53. ed. Burm. Cf. de h. l. Bond. in Add. ad *Varias Lect.* p. 274.

Origo quaenam utriusque sit vocabuli, haud facile est dictu. Oscas esse voces patet e Varronis loco: sed a quanam voce oriundae? aut cuinam sunt affines? Josephus quidem Scaliger [h] τὸ *Cascus* ducit a *Casus*, *antiquus*. Sed undenam rursus habet Scaliger suum istud *Casus?* Nec magis placet quod Dacerius [i] a καικὸς ducit: nam contorta videtur significationis similitudo. Ego, ut certi nihil adferre possum, sic, lubens crediderim origine conjunctum esse τὸ *Cascus* cum voce Latinâ, quae neque ipsa valde est usitata, *Cassus*, unde et *in cassum*. Sane par utrique *debilitatis* et *inanitatis* notio inest.

Ad *Casnar* autem, *senem*, quod attinet, derivatum est vel ab ipso τῷ *Cascus*, vel certe ab eâdem atque illud, voce. Nam primo *n* intrusum est, quia prisca antiquitas derivationis formas magis cultas et politas, quas adhibuit sermo recentior, ignoravit. At verò terminatio illa *ar* in vocum derivatione et ipsa est antiquissima, et ex antiquo Graeco sermone, per magnam Graeciam, in Romanum est translata. Nam Graeci antiquissimi videntur habuisse terminationem derivativam ηρ. Remansit haec in unico, quod sciam, vocabulo ἐρίηρ: unde est apud Homerum ἐρίηρες ἑταῖροι. Non equidem ignoro hoc solere sic explicari, quasi esset compositum ex

ἔρι,

h. In *Verborum Etymologiis* ad calcem Conj. ad Varr.

i. Ad Fest. v. *Cascum.*

ἔρι, particulâ, quae *valde* notet, et ἄρω, *apto*, *necto*. Sed, pace virorum doctorum, tam veterum quam recentiorum, dixerim, falsum ego hoc existimo. Ἐρίηρ mihi videtur non compositum, sed derivativum. Nempe ab eodem quidem ἔρι; sed quod proprie non *valde*, verum *bene* significare debuit: eâdem plane ratione, qua εὖ, *bene*, ab ἐΰς, *bonus*, paullatim, cum in his phrasibus εὖ μάλα, εὖ μέγας, caet., significationem intenderet, *valde* significare coepit, quaque ratione Latinis, ad Graecorum ~~exemplar, usurpatum fuit *bene multus*~~, *bene magnus*. Ergo hac de caussâ puto τὸ ἐρίηρ non significare *valde conjunctus*, sed *bonus*: τὸ ἐρίηρες ἑταῖροι apud Homerum non esse, ut vertunt, *valde conjuncti sodales*, sed *boni*. Sane sic nihil opus erit Grammaticorum commento, qui Iônicae Dialecto proprium putant mutare οι in ες, ut ἐρίηρες pro ἐρίηροι, quo nihil ineptius [l]. — Addi hoc loco potest, Grammaticos saepissime in eo labi, ut simplices derivationes pro compositionibus accipiant. Notissima sunt quae de antiquorum errore circa voces *Aeditumus*, *Meditullium*, *Testamentum*, *Sacellum* tradunt Cicero [m] et Gellius [n]. Minus

l. Vid. Grammat. Leid. (ad calcem Corinth. *De Dial.*) §. XIV. Et fallitur idem cum υἷς, (sic e MS. legendum videtur) dici putat pro υἱὸς. Est enim et haec antiquior forma ab υἷς.

m. *Topic.* 8.

n. *N. A.* VI. 12.

nua autem vulgò nota, sed elegantissima est civis nostri Balthasari Huydecoper [o] doctrina de voce *exulo*, quam cum Grammatici ab *ex* et *solum* compositam putent, ipse ingeniosissime repetit simpliciter a praepositione *ex*: ut *ulo* sit terminatio verbalis, actum significans; planè ut *ambulo* derivatum est a Celticae originis praepositione *amb*, *circum*, cui conjunctum Graecum ἀμφὶ, quaeque remansit in *ambedo*, *amburbium*, *ambarvales*, *ambacti*, caet.

Ergò istius terminationis ηρ in Adjectivis unum exemplum restat, ἐρίηρ. In substantivis autem plura. Nam multa adhuc invenimus ejusmodi verbalia, ut δοτὴρ, χαρακτὴρ [p], alia.

Graeci porro aliam terminationem derivativam habuerunt illi conjunctam, sed brevem, in αρ: cujus exempla sunt δάμαρ, δέλεαρ, ἔαρ, εἶδαρ, ἦμαρ, ἧπαρ, κέαρ, κτέαρ, νέκταρ, ὄαρ, ὄναρ, ὄνειαρ, οὖθαρ, στέαρ, ὕπαρ, φρέαρ, substantivis; μάκαρ Adjectivo. Et haec est antiquissima. Orta videtur e barbaris linguis, quod Punicum *Hamilcar*, et similia arguunt: antiquitatem verò ostendit ipsa etiam brevitas, cum pleraque sint disyllaba.

Verum utraque terminatio, cum lapsu temporis durior videretur, non uno modo paullatim molliri coepta est. Substantiva quidem in ηρ, pro *hac terminatione*

o. *Proeve van Taal- en Dichtkunde.* T. III. p. 341. sqq.

p. Haec cum oxytona sint, videndum an et potius scribendum fuerit ἐρήρ, et ἐρῆρε.

minatione tunc sapius adsciverunt formam in ης, et της: ita ut quaedam inveniantur, in quibus utraque forma adhuc simul usurpetur, ut δοτὴρ et δότης, βοτὴρ et βούτης. Haec mitigatio pendet a frequenti illo litterae *s* pro *r* usu q. -- Verum Adjectiva in ηρ productiorem formam in ήρης sibi vindicasse puto ut θυμήρης, ποδήρης. Adferam hac occasione quod ad Hemsterhusii r doctrinam (quam supra s retuli) de terminatione άριος et άρης in Graecitate seriori, a viro Docto in exemplari juvenis eruditissimi et amicissimi ~~*van der Heim*~~, JCti, adscriptum inveni. Ait Hemsterhusius: „ — Forma vocis γρυτάρης sa„ tis demonstrat originem non nimium vetustam, „ et in citeriori tantùm Graeciâ quaerendam." Vir doctus: *Nam γρύτη pro rebus vilibus non est Atticum, sed Comm. Gr. jam vero istiusmodi substantiva Graeca, exeuntia in — άρης, Lat. saepe in* ARIUS *desinunt. His accensenda sunt nomina Adjectiva in ήρης etiam desinentia, ut a θυμὸς, θυμήρης.* Credo virum doctum hoc voluisse, *quemadmodum recentem formam in άρης, sic antiquam in ήρης, meram esse terminationem.* Quod si voluit, ego sa-

q. Plato in *Cratylo.* c. 41; Varro, *paulo ante hunc locum quem tractamus.* Sic quod Germani *frieRen*, nos *vrieZen* dicimus. Et simile quid apud Gallos Parisinos observavit Erasmus. *Dial. de Ling. Graec. Pron.* (p. 66. T. II. ed. Haverk.)

r. Ad schol. Aristoph. *Plut.* v. 17. pag. 482.

s. Vid. Cap. IV. *Lyd.* Sect. II. §. 5. p. 61.

sanè hanc non mihi soli propriam esse suspicionem, non mediocriter gaudeo.

Denique terminatio *αρ*, an in similem formam migraverit, dicere nou habeo: unicum exemplum videtur *ἦμαρ*, quod in *ἡμέρα* abiit. Sed credo extra dubium esse, in plerisque vocibus eam formam paullatim obsolevisse: certe nou nisi apud solos poetas, Homericum sermonem custodientes in usu remansisse. Ἔαρ autem et *κέαρ* mutata sunt in *ἦρ* et *κῆρ*, quod in monosyllabis terminatio *ηρ* minus dura foret quam in polysyllabis. Et longè majorem numerum vocum in *αρ* fuisse, quae ex usu recesserint, ostendunt deminutiva in *άριον*, quae ab iis supersunt. Nam sicut vocis *παιδίον* primitivum fuit *παῖς*, sic vocis *παιδάριον* primitivum oportet fuisse *παῖδαρ*: atque ita porro in reliquis hujus formae ὑποκοριστικοῖς.

Jam ad Romanum sermonem quod attinet, in eum utraque terminatio *ηρ* et *αρ* delata est, ita ut utraque Latinum *ar* pepererit: sed hoc fortasse cum discrimine, quod *ηρ* dederit *ar* longum, *αρ* vero *ar* breve. Nota, in voce *Torcular* de quantitate non constare [t]. Credo translatam hanc formam primò in Magnam Graeciam: Siculorum certe erat *Momar*, *μῶμαρ*, pro *stulto* a *μῶμος* [u]: hinc porro in regiones Magnae Graeciae maxime affines, ac primò quidem lin-

t. Vid. Facciol. Lexic. in v.
u. Vid. Fest. in v. et int. ibi.

linguam Oscam migravisse. Nam ex hac lingua, ut docet Varro, nostrum est *Casnar*.

Eadem terminatio simili fato in Romanâ Linguâ usa est atque in Graecâ, ut nempe a priscis tantùm usurparetur, a recentioribus plerumque vel repudiaretur, vel mitigaretur. Multa quidem in aliquo usu remanserunt: ut *aular* (pro aulae operculo [x]) *Caesar*, *Calcar*, *calpar* (dolii genus), *cochlear*, *exemplar*, *instar*, *jubar*, *laquear* vel *lacunar*, *lucar* [y], *pulvinar*, *foliar* [z], *specularia* a singulari *specular*, ~~*torcular*: sed ita ut vel omnia~~, vel plerumque saltem, priscum sermonem redoleant. Nam *aular* apud solum Varronem[a] remansit, et ni restituisset Scaliger, ignotum erat; *exemplar* in usu quidem, sed non perpetuo, quippe plerisque casibus *exemplum* usurpatur; *instar* uno tantum casu usurpatur; *jubar* nunc ferè non nisi poëtis usitatum; *lucar* penè solus nobis servavit Festus; caeterae, excepta voce *calcar*, sunt appellationes vel instrumenti rustici, vel supellectilis domesticae, vel voces *technicae*, quae, ut observasse videor, antiquum sermonem maximè solent custodire, cum a frequentiore usu et sermone eleganti plerumque sint remotae. Atque ex harum appellationum antiquitate factum est, quod praemonui, ut repudiarên-

x. Ap. Festum.
y. Fest. in v. Cf. in v. *Lucaris*, et in *Pecunia*.
z. Apud Nonium, in v. (I. 10.)
a. De R. R. III. 15. in f.

rentur vel emollirentur. Prioris rei exemplum laudavi *specularia*, cujus singulare nunc non reperiri puto, et *jubar*, prosae scriptoribus ferè obsoletum. At emollitae istius formae exempla sunt voces quas insequenti aevo litteram *e* adsciverunt, ut *cochlear*, *cochleare*; *laquear*, *laqueare*: atque ita pro *alveare* antiquos etiam *alvear* dixisse puto. Et falli eos existimo, qui formam hanc, *cochleare*, pro adjectivâ terminatione sumunt, quasi propriè esset *cochleare instrumentum*, vel simile quid [b].

In adjectivis autem Latinis an usitata fuerit terminatio *ar*, sicut in Graecis *ἴκμαρ* et *μάκαρ*, ambigo: certe exemplum non succurrit. Penè tamen adducor ut credam: quia profectò inde, lapsu temporis, formata est primùm adjectivorum terminatio, ut productior, sic lenior, in *arius*, quam fusè in Lydo [c] tractavimus, et praeterea adverbialis forma *ariam*, *bifariam*, *trifariam*, *multifariam*, in quibus *f* duntaxat a Digammate, hiatûs caussâ interposito, ortum videtur.

Haec autem de terminatione τοῦ *Casnar*, et omninò de his vocibus *Cascus* et *Casnar* sufficiant.

b. Ita Schellerus in *Lexico*. Melius Facciolatus.

c. Sect. II. §. 5. p. 55. sqq.

§. 2.

Manilii Epigramma.

Nunc autem ad Manilii versiculos emendandos adcingamur. Eos vidimus sic exhiberi:

Caecum duxisse caecam non mirabile est quoniam canoras conc faciebant nuptias.

Qui versus¹, senarii illi, ut quisque audit, meo quidem ~~judicio, satis rectè se non habent.~~ *Canorae nuptiae* quae sint nemo expedit: nam quod ait Turnebus, hoc significare *concinentes*, id est *congruas*, equidem vix crediderim. *Canere* sane, unde *canorus*, notione multum differt a *concinere:* nam in hoc requiritur ut duos homines canentes, vel saltem duos sonos nobis mente fingamus, ita ut *concinendi* notio species sit, *canendi* generalis. Ergò et Scaliger², hoc commento repudiato, legi jubebat:

> *Caecum caecam duxisse non mirabile est;*
> *Quoniam* CARON KAS *faciebat nuptias.*

Faciebat, faventibus libris antiquis reponens Scaliger, lectionem suam sic explicat: „ Quid „ argutius hoc Epigrammate? Quod decrepito de„ crepita nupserit, Charontem eorum fuisse pronu„ bum

a. Conj. ad Varr. p. 189. (ed. Bip. T. II. p. 189.) et in *Catal. Vett. Poët.* l. I. p. 216.

„ bum et auspicem ait. Manilius". Sed et ipsa haec emendatio mihi anxiè nimis quaesita semper visa est. Varro enim caetera hic exempla adtulit ejusmodi, ut facillimè Romanus homo intelligeret *Cascum* significare *veterem*. At vero ex hoc Epigrammatis acumine id nequaquam apertum erat: saltem non ita, ut rectè Varro dixerit: „ *Eò magis* (scil. hoc significat) *Manilius*, *quod ait*" eaet. Itaque mihi aliquandò videbatur pro voce *Canoras* legendum esse *Casnares*. Mirabar Scaligero hujus vocis in mentem non venisse ad Manilii locum sanandum, cum ipse, in Nonii loco [b], ubi legebatur CARNALES, *Sedules*, felicissime correxisset CASNARES, *Seniles* [c]. Nam si meo judicio in Epigrammate nostro reponeres, *casnares nuptias*, credebam facile probatum iri citationem hujus exempli Maniliani, quae a Varrone ideò facta esset, ut ostenderet *Cascum* idem significare, quod *vetus*, vel *antiquus*, vel etiam *senilis*.

Sic igitur opinabar: cum da conjecturâ hac referendum putabam ad judicem, qui mihi in rebus auctoritatis caussâ saepius adeundus fuit, Boissonadium. Is non plane improbabat: et, qua est humanitate, statim Burmannianos Anthologiae Latinae [d] libros, quorum mihi tunc nullo modo erat co-

b. v. *Carnales* II. 136.

c. Vid. Scal. Conj. ad Varr. p. 117. ed. Scal. (T. II. p. 191. ed. Bip.)

d. T. I. p. 673.

copia, evolvebat: ex iis adparet ab aliis Manuscriptis obferri *Casmareas*, ab aliis *Casmareas*. — Firmabat hoc egregiè conjecturam. Quid enim minus credibile, quam ut librarii, quibus solenne ita labi, ut ignotas sibi voces in tritiores mutent, jam notissima vocabula, *Canoras*, vel *Caron eat* mutassent in reconditae antiquitatis verbum *Casnareas*, quod huic loco tam unicè convenit? Sed et simul apparebat, me non omnia vidisse, quippe in Manilii versibus legendum, non *Cāsnares*, sed *Casnareas*. Ratio manifesta: *Casnares*, *senes* notat: si *senilem* reddere velis, dicendum erit *Casnareus*, ut a *Caesar* dicitur *Caesareus*. Quod si reponas, servari poterit *faciebant*, pro quo editores *conficiebant*, metri causâ, reposuerunt: ut jam ait:

> *Cascum duxisse cascam non mirabile est;*
> *Quoniam casnareas faciebant nuptias.*

Vides secundam *a* in *Casnareus* produci, contra quam fit in *Caesareus*: verum hoc obtinet, quia penultima in obliquis a *Cascar* videtur longa fuisse, ut in plerisque, *calcār*, *lacunār*, *exemplār*. Neque longâ hic disputatione opus erit ad probandum, in Nonio, pro *Casnares*, *seniles*, ut voluit Scaliger, legendum esse vel *Casnareos*, *seniles*, vel *Cāsnares*, *senes*. Quorum hoc ut maluit Junius, sic et ego probo, quia exempla ibi a Nonio adlegata ad substantivum *Cāsnar*, non ad adjectivum *casnareus* spectant.

K Non

Non equidem diffiteor, de hac Manilii correctione moveri posse scrupulum: quasi Epigrammatis acumen sic, quale sit, non liquidò appareat. Verùm cum emendatio nostra Manuscriptorum auctoritate nitatur, ego *primo* quidem loco respondere non vereor, acumen, etsi non appareret tamen, aliquod inesse posse, quod nos, qui tanto temporis intervallo a Manilio separati simus, non caperemus: atque id eo facilius, quia illud, in antiquioribus praesertim Epigrammatibus, non semper tam salsum, quam postulavit recentior ingeniorum cultura, deprehendatur. Ergò, vel si nullum appareret acumen, non ideo minus vera esset haec lectio. Verum ne ad Deos e machina confugere videamur, *secundo* loco dicendum puto, lusum mihi videri in eo esse, ut agatur de sene qui vetulam uxorem duxerit, quique simul antiquissimo matrimoniorum *confarreatorum* ritu usus fuerit. Nam apud Romanos tres modi erant contrahendi matrimonii: *confarreatio*, *coëmtio*, *usus*. *Confarreationis* praecipua haec erat vis, ut uxor in manum mariti conveniret, adeoque sacrorum particeps, tum et *materfamilias*, fieret: ut porrò filiae loco haberetur, adeoque marito esset haeres sua. *Coëmtio* parum differebat, ita ut a quibusdam pro eodem ritu habeatur. At vero *usu* contracta matrimonia non nisi post multum tempus inventa sunt, eo quidem consilio, ut uxor in manum mariti non conveniret, sed vel in patris potestate vel in agnatorum tutelâ remaneret: quo modo non

materfamilias fiebat, sed *matrona* [a]. — Jam horum rituum vetustissimus est primus, *per confarreationem*. Nam et a Romulo inventus est, et ipsis solennitatibus, tum et effectibus, priscam illam morum severitatem redolet. Vel his igitur solis nominibus *Casnareus*, *antiquus*, hic ritus dici potuit. Sed accedit, quod idem ritus Varronis jam tempore paulatim ex usu recessisse videtur. Tiberio sanè imperante, ut docet Tacitus ad annum U. C. DCCLXXVI [b] omissus fuit, ita ut illo anno tres patricii, quorum parentes hac caerimonia matrimonium contraxissent, unde legeretur unus flamen Dialis, inveniri non potuerint. In Varronis igitur tempora, qui LIV tantùm annis ante hunc, de quo agimus, e vitâ excessit, omissio hujus ritûs cadere potest. Et verò jam multò prius in desuetudinem abiisse, rectè inde efficias, quod Tiberius tunc oratione probaverit, hoc institutum si mutaretur, id non sine exemplo futurum, quippe eodem modo *Augustus quaedam ex horridâ illâ antiquitate ad praesentem usum flexisset*.

Summa igitur argumenti haec est, Varronis, (adeoque, ut videtur, et *Manilii* nostri) tempore istam matrimoniorum formam *casnaream*, id est *antiquam*, dici potuisse: idque serio. At lusum sive acumen in

a. Vid. Guid. Pancir. *Thes. Var. Lect.* l. II. c. 126; Heinecc. *Ant. Rom.* I. 10; et Intt. ad Ulpian. fragm. Tit. IX *de his qui in manu sunt*.

b. *Annal.* IV. 16.

in eo fuisse, quod *Casnar* etiam *senem*, et *casnareus senilem* significaret, ut adeo *seniles nuptiae* dicerentur, quae senem inter et vetulam essent contractae.

§. 3.

Pappus.

Quod autem diximus, Varronem hic ejusmodi exempla selegisse, unde cives sui facillimè intelligerent, *Cascum* significare *veterem*: age paucis etiam adsertum eamus. Primum ei argumentum praebet versus Ennii:

Quam primum casci populi genuere Latini,

quem adhibuisse videtur, quia ejus, utpote vulgò noti et usupati, invicta auctoritas haberi poterat. Sequitur Manilii epigramma, quod tractavimus. Inde est aliud epigrammation Papinii, cujus sententia Romanis ex ultimo versu aperta esse debuit:

Nam vere pusus tu, tua amica senex 'st.

Quae autem sequuntur, ea male sunt edita. Turnebus quidem * priorem partem hoc ferè modo feliciter restituit:

„ Item ostendit, quod oppidum vocatur *Casci-*
„ *num*: hoc enim a Sabineis orti Samnites tenuerunt
„ et nunc nostri, unde et *Cascinum* FORUM VETUS" —

* Adv. XXIII. 15.

TUS". — Hoc, *forum vetus*, alterum nomen esse oppidi *Casini* intelligit Turnebus: et rectè quidem. Vides aliter me haec distinxisse atque vulgò fit. Sic sequentia etiam distinctione sunt juvanda: „ Item significant in Atellaneis aliquot, *Pappum* senem quod Osci CASNAR appellant". Ratio haec est. Legitur *pupum*; sed recte e MStis *Pappum* restituit Turnebus [b]: caeterùm malè explicat *carduorum lanuginem*, a similitudine *canitiei senilis*. Deceptus, credo, formâ illâ: *quod Osci* CASNAR *appellant*, non CASNAREM: et amplius deceptus voce *quod*, quam cum pro pronomine neutrius generis acciperet, credidit *Casnar* esse neutrius generis nomen, neque ideò *senem* posse notare. Sed Oscae linguae declinatio nobis ignota est: potuit et genere masculino patiendi casus similiter nominativo efferri: *quod* autem, ut nos distinximus, non pronomen est, sed conjunctio. Igitur *Pappus* quidem cum Turnebo tuendum est, sed cum Scaligero [c] intelligendum de nomine personae Comicae, quae in Attelanis erat frequentissima: unde et nonnullae ejusmodi fabulae nomen sortitae sunt: *Pappus Agricola*, *Sponsa Pappi*, *Hirnea Pappi*, aliae. Hac itaque ratione sic accipio, *Pappum*, personam tralatitiam in Attellanis, quae fabulae erant Oscae originis, in nonnullis earum (et fortasse in antiquioribus, quae Oscam linguam maxime servarent) aliquando *Casnar* com-

b. *Adv.* l. l.

c. Conj. ad Varr. p. 152. (T. II. ed. Bip. p. 238.)

compellatam fuisse. Neve quis mihi objiciat librum verborum, *Pappum senem quod Osci Casnar appellant* trajectionem, pro *quod Osci Pappum senem* CASNAR *appellant*; quippe haec sermonis asperitas Varroni, ut praemonuimus, frequens est, ejusdemque ipso hoc loco aliud exemplum habuimus, *Item ostendit quod oppidum vocatur Cascinum:* quod sane magis perspicue Varro efferre potuit, *Item ostendit oppidum, quod vocatur Cascinum.* Haec de Varrone satis.

CAPUT DECIMUM.

DISPUTATIO DE LINGUAE GRAECAE PRONUNCIATIONE.

SECTIO PRIMA.

De Pronunciatione Reuchliniana et Erasmiana.

Triennium est, ex quo prodiit Parisiis viri docti Anastasii Georgiadae, Graeci Philippopolitani, et nisi fallor, apud Germanos Vindobonenses Medicinae et Chirurgiae Doctoris, opusculum Graecè conscriptum *de Litterarum Graecarum pronunciatione*, cum Latinâ versione. Titulus est: Πραγματεία περὶ τῆς τῶν Ἑλληνικῶν στοιχείων Ἐκφωνήσεως, ὑπὸ Ἀν. Γεωργιάδου Ἕλληνος καὶ Λατινιστὶ φιλοπονηθεῖσα. *Paris. Vindob. et Lips.* 1812. 8°. Hujus argumentum libri materies nobis erit insequentis disputationis.

Cum enim inde a *Reuchlino*, Germano, qui Graece se *Capniona* dici maluit [a] (obiit autem anno 1521 [b], et inter suos Graecam linguam vulgâsse creditur,) per universam Europam obtineret pronun-cia-

a. A Germ. *Rauch*, *fumus*, καπνὸς, deminutivum fit *Räuchlein*, quasi dicas, *fumulus*, καπνίον. Hinc deriv. Καπνίων.

b. Haverk. de L. Gr. Pronunc. T. II. p. 626.

ciatio Linguae Graecae eadem, qua hodieque, tam in vetere, quam in nova sua lingua, utuntur Graeci, sed fortasse pro diversarum gentium ingenio plus minus corrupta; exstitit Erasmus, et nescio qua occasione, (fraude perductum ajunt, sed puto non constare [c]) emendandae, atque ad veterum Graecorum consuetudinem reducendae illius pronunciationis cepit consilium. Edidit itaque anno 1528 de ea re dialogum, quo primus eum, qui nunc apud nostrates viget, proferendi modum proposuit. Ipsum ajunt usu mutare nihil ausum [d]; at in Anglia res exitum habuit: quippe in Academia Cantabrigiensi septem fere annis postea, primum Erasmi ratio a Professoribus, quos vocant, Joanne Checo et Thoma Smith, probata et frequentata est. Magnae hic et vero ridiculae contentionis fons fuit. Nam Academiae Cancellarius *Stephanus Gardiner*, Episcopus Wintoniensis, homo doctus, sed, quantum conjicere licet, doctrina sua superbus, aegre ferens inconsulto se novum quid in Academiam esse invectum [e], rem, postquam per septem annos ibi steterat [f], anno ita 1542, funditus suo sustulit edicto: unde operae pretium est quaedam enotasse, quia lectu prorsus joculare est:

„ Ste-

c. Vid. Haverk. l. c.

d. Haverk. l. l.; et, in ejus sylloge, Steph. Wint. T. II, p. 346.

e. Vid. Thom. Smith. ad Steph. Wint. l. III. pr. (in Haverk. Syll. T. II. p. 664.)

f. Vid. ibid. p. 472, 528.

„ Stephanus, Vintoniensis Episcopus, Academiae
„ Cantabrigiensis Cancellarius, caet".

„ Quisquis nostram potestatem agnoscis, sonos
„ litteris, sive Graecis, sive Latinis, ab usu pu-
„ blico praesentis saeculi alienos, privato judicio
„ affingere ne audeto".

„ Quod vero eâ in re major auctoritas edixerit,
„ jusserit, praeceperit, id omnes amplectuntor et
„ observanto".

Dicas ferè summi Gallorum Comici Molièrii lusum esse, quo Medicos sermone semi-Latino, perstringit. Rogatur aegrotus, qui collegio Medicorum socius adsciscitur:

[Juras] Facere in omnibus
Consultationibus,
Ancieni aviso,
Aut bono
Aut mauvaiso?

respondet: *Juro.*

Tum rursus ad quaestionem hanc:

De non jamais te servire
De remediis aucunis,
Quam de ceux seulement doctae facultatis;
Maladus dût-il crevare
Et mori de suo malo?

Ille: *Juro.*

Ad Stephanus Cancellarius quomodo, post expositam pronunciationem tunc vulgarem, quam instau-

rari jubet, poenas secus facientibus statuit? Ridiculum verò est:

„ Si quis autem, quod abominor, secus fecerit; „ hunc hominem, quisquis is erit, ineptum omnes „ habento: et ex senatu, siquidem ex eo numero „ jam fuerit, is qui auctoritati praeest, nisi resipuerit, expellito. Inter candidatos verò si sit, „ ab omni gradu honoris arceto. Ex plebe autem „ scholarium si fuerit, quum ita haberi id ei commodo esse possit, pro scholari ne censeto. Puerilem denique temeritatem, si quid publicè ausa fuerit, domi apud suos castigari curato"; — caet. Et hoc vel perquam seriò edictum: "Tamen hercle ne Bolaei quidem satyrici (*Boileau Despréaux*) edictum illud joculare: †„ *Bonum factum. Ne quis Rectam Rationem in Facultatem Medicam Universitatis Regiae Parisinae intromittere, Aristotelemve inde expellere vellet* ;" magis est festivum. Sed eò usque valuit Cancellarii auctoritas, ut nascentem rem tunc quidem in Angliâ compresserit: an eadem postea iterum suboleverit, compertum non habeo. Illud certum, inde natas esse, Cancellarium inter et Checum Smithumque, epistolas aliquot mutuas magnae elegantiae, et eruditionis; sed, ab illius quidem parte, non sine fastu, immò, quam decuit, amariores. Eae vulgatae sunt ab Haverkampio in fasciculo, cui titulum inscripsit *Syllogen scriptorum qui de Linguae Graecae Pronunciatione com-* men-

† Vid. ejus Opp. T. IV. p. 55. ed Amstel. 8°.

mentarios reliquerunt [h]. Cujus mihi saepe mentio facta jam est, et fiet aliquoties. Nam congesta sunt in eundem alia opuscula de eodem argumento *Ceratini*, Hornā-Batavi, circa annum 1529, *Mekerchi* Brugensis ao 1564, item *Bezae*, et *H. Stephani* ao. 1578, scripta pro Erasmianā ratione; tum *Gr. Martini* Angli, ni fallor, anno 1564, et *Erasmi Schmidtii*, Wittebergensis, in Germania, ao. 1615, contra eandem et pro usitatā tunc Reuchlinianā pronunciatione: adjecti autem *G. Postelli* ao. 1551, et ipsius *Haverkampii* commentarii de litterarum charactere. Eadem materia *M. Samueli Gelhudio*, et *J. R. Wetstenio* tractata; sed desunt mihi illorum opuscula: de qua tamen re non valdè laboro, quia eadem neque a diligentissimo Georgiade aut adhibita, aut certe saepe citata invenio.

Denique in hunc etiam censum referendi sunt duo auctores recentes, de quibus Georgiades mentionem non fecit. Primus est *Thomas Paynius*, cujus liber *de Graecorum Alphabeto* [i] me quoque latuisset, nisi ex instructissimā suā bibliothecā vir celeberrimus Lennepius copiam ejus fecisset. In Angliсè conscriptus est, et praecipuè elementorum antiquissimam figuram, usum in declinandis nominibus et verbis, et metricam potestatem, ex Homeri Hesiodique scriptis, et vetustissimis monumentis, illustrat. Idem

h. Duob. Voll. 8°. L. B. 1736—1740.

i. *An Analytical Essay on Greek Alphabet*, Lond. 1791. 4° cum tabulis aere expressis.

Idem verò pronunciationem quoque obiter attigit [l]. Quum verò summum acumen, eruditionem et elegantiam planè singularem habere videatur, vehementer equidem doleo, hanc partem non etiam datâ operâ ab illo pertractatam fuisse: praecipuè cum in ipsâ pronunciatione, (in qua non tantum linguae originem, sed et sequentia tempora spectat auctor) tum Dialectorum, tum inprimis aetatum, differentia diligentius fuisset constituenda.

Alter scriptor, sed qui et ipse rem non nisi in transitu commemorat potius, quam tractat, est celeberrimus ille *Adamantius Coraës* (*Coray*) Graecus, de cujus in patriam suam meritis mox quaedam dicenda sunt. Is, datâ occasione, ad nomen Εἰσοκράτους, sive Ἰσοκράτους illustrandum [m], quaedam de Iötacismo, et hinc de totâ Graecorum pronunciatione, etsi breviter, tamen non minus doctè quam sapienter commonuit.

Ergò, inter illorum diuturnas controversias, Erasmiana pronuntiatio per universam ferè Europam recepta est: certè apud nostrates, Gallos, Germanos; at Genevenses adhuc Reuchlinianâ uti compertum habeo. Qui autem nostrae se opponeret, deinceps fuit, teste Georgiade, *Capperonierius*, idem, credo, qui Rhetores Latinos edidit Argentorati *1756.* 8°. Cujus est de re satis grande et manuscriptum, sed

l. Sect. I. p. 6. sqq.

m. Περὶ τῆς ἐκδόσεως τοῦ Ἰσοκράτους· in fronte Isocratis συγ. βιβλ. τόμ. κ. λ.

sed ineditum adhuc, opus in Bibliothecâ Regiâ Parisinâ ille se invenisse testatur [n].

Nunc autem idem Georgiades litem rursus movet: quae docti viri commentatio cum hoc ab Euripide sapienter dictum praeferat [o]:

Ἀλλ' ἢ μ' ἐλέγχει, ἤν τι μὴ καλῶς λέγω
Ἢ τοῖσιν εὖ λεχθεῖσι συγχωρεῖ λόγοις.

non utique vereor ne mihi auctor, paucis et modeste rescripturo, infensus sit, praecipuè cum ipse ait perspecturus, ~~nec se, nec quenquam~~, offensum, multo minus laesum, iri. Quare et ego sic παρῳδῶν praefari possim:

Ἀλλ' αὖθ', ἐὰν μηδὲν λέγω, ὀνειδεῖ·
Ἑκὼν τε τοῖς καλῶς πεισθήσομαι λόγοις.

Sed ut ipse rem citra convicium et alienorum argumentorum irrisionem tractare constitui; sic vellem et Georgiades ab omni acriore dicto abstinuisset. Nunc ferè quidem omnia urbanè tractavit: ita tamen ut pauca restent quae humanius dicta velis [p].

n. Vid. Georg. §. 28. not. (4).
o. *Hippol.* v 299. sqq
p. Sic ψυχρὸν vocat argumentum quoddam nostrorum hominum, §. 20. et 78; — et sic ferè §. 102.

SECTIO SECUNDA.

De Pronunciationis emendatae utilitate.

Atque alius nunc quidem causae est status atque Erasmi tempore et morae litis principio fuit: quippe tota caussa cum temporibus est mutata. Increpabat tunc, inter alia multa, Anglus ille Cancellarius: *otiosam esse quaestionem: non quidem inutile, illud nosse: sed*, quae ejus argumenta, *ridiculum, certè inutile et supervacuum usu recipere: de mortuâ linguâ non adeò laborandum.* — At nunc quam penitùs de sermonis ipsius usu, adeoque de pronunciationis utilitate, alia res est! Laborant Graeci hodierni, ut, si minus possint populum sui juris; certè nomen gentis, quae et moribus, (ut ad hunc usque diem obtinuit) et verò etiam linguâ, a reliquis discernatur, et inter Europaeas celebrari mereatur; verbo, ut *Graecorum* nomen patrium et gloriam instaurent. Magno utique nec satis laudando conatu. Tria fere sunt, me judice, quibus nationes constare et a reliquis distingui possint: *mores*, lingua, ditio. *Morum* diversitas levior est: ut si populus caeteroquin, hoc est linguâ et ditione, cum alio misceatur, vix eum singularem populum esse intelligas. Verum si qua gens, alienae ditioni subjecta, *linguam* sibi propriam colere, eâque vel publi-

blicâ auctoritate uti, vel etiam libros componere et edere pergit, et praecipue si tunc morum discrimen accedit, ea gens profectò nationis nomen apud exteros tuebitur. Quomodo nos, externae libidini, proh pudor! aliquamdiu subjecti, tamen privata natio censeri nunquam desiimus, nec, si modò non per homines exotica sectantes, per ardeliones *francissantes* statutum fuisset, nostri nominis decus amissuri fuimus. Sic contra, quod ad linguas ipsas adtinet, quaecunque earum a populo sui juris excolitur, ita ut ejusdem publicus privatusque, et in scriptis, usus sit; ea igitur *lingua* dici meretur, non vero alterius linguae, quantumvis origine et formâ adfinis, *Dialectus*. Hujus rei iterum nostra exemplum esto: quam ignorantes Galli fastuosè *Germanicam Dialectum* appellant: esto et aliud, lingua Lusitanea, quae etsi Hispanicae simillima dicitur, tamen ab iisdem Gallis, (qui hanc frequentius quam Belgicam noverunt) rectè pro diversâ linguâ habetur: esto denique Gallica ipsa, quae etsi, praesertim antiquior illa Italicam ferè ad verbum, mutatis solùm terminationibus et accentibus, exprimit, tamen non modò lingua habetur (non Dialectus), sed et lingua hodiernarum non quidem ditissima optimaque, sed profecto cultissima. Et sic siquae linguae origine et formâ sunt affines, sed ita ut aliquantùm inter se discrepent, eaedem verò excolantur a gentibus, quae inde ab origine suâ communi aliquo imperii vinculo (quamvis non prorsus unâ eademque ditione) tenentur, (ut est, inter Graecos Ionum,

At-

Atticorum, Aeolum sermo); eas igitur, si vel maximè singulae publicè adhibeantur et scribantur, non *linguas* discretas, verum *Dialectus* habendas arbitror.

Graecis ergo, qui jam moribus a Turcis adeò sunt diversi, hoc propositum est, ut suorum hominum ingenia excolant, linguae suae studium, cognitionem et usum, etiam ad scribendum, restituant. Rei auctores et adjutores, alius alio modo, aliis opibus, indigenae sunt, viri eruditi, sparsim per Europam habitantes: Petropoli *Eugenius Bulgaris* Metropolitanus, qui Aeneidem [a] et Georgica Graecis Heroicis transtulit; Vindobonae, *Anthimus Gazes*, Lexici Hellenici auctor, tum et Diarii Graeci scriptor: et *Georgiades* noster, qui, praeter hoc de linguâ suâ specimen, aliquantò antea medici argumenti et multâ eruditione refertum librum, quem Ἀντιπανάκειαν nominavit, edidit [b]; ibidem, aut in viciniâ certe ....Πᾶς, qui nisi fallor, haud ita diu abhinc, juvenis adhuc, quâ ego aetate haec scribo, diligentem de Metris Graecis Graecum Commentarium Buchatestiae edidit; Corcyrae *Andreas Mystoxides*, qui, inter plura, Isocratis orationem περὶ τῆς ἀντιδόσεως novâ editione ornavit [c]; Parisiis, tum alii multi, tum in-

a. Recudendam hanc curavit *D. G. Seebode*. Hanov. 1814 8°.

b. Viennae 1810. 8°. Auctor videtur consuluisse quidquid Graecè, Latinè, Germanicè, Gallicè, Anglicè, Italicè, super hac re prodiit.

c. Recusa haec est curâ Orellii, qui suas notas adjecit, Vindob. 1814. 8°. major.

inprimis venerabilis et humanissimus senex *Adamantius Coraës* (*Diamant Coray*) cujus vel sola optimorum auctorum collectio, quam in usus civium suorum, Βιβλιοθήκης Ἑλληνικῆς nomine, jam inde a multis annis in vulgus edit, quaeque Aelianum, Isocratem, Plutarchum, alios, omnes Graecè expositos continet, tam nobilis est, ut ego, siquis laudare me eam voluisse suspicaretur, merito arrogans viderer. Is autem, quod ultimo demum loco nomen suum memoratum invenerit, quum ipsius in in totâ re maxima sint merita, et ipse adeo, consilii auctoribus fratribus *Zosimadibus* d, rei universae tentandae et porro exsequendae caput fuerit, non vereor ne aegrè ferat, quando honoris caussâ, non negligentiae, ad finem servavi. Hac enim occasione uti volui, ut monerem Coraëe consilio quaedam contraria prolata fuisse a viro docto Borusso *J. L. S. Bartholdio*, in narratione itineris, quod anno 1803 et sequenti per Graeciam fecerat e. At is pauca expedit: sic ferè ut bifariam argumentetur. Praecipua quidem illi ratio, ut censeat, *Graecorum nomen non posse restitui, nisi instaurato simul vel regno vel republicâ* f. Pro more scilicet temporis quo scribebat; quando agebatur de Turcis ex Europâ pellen-

d. Vid. ipsius προλεγόμενα in principio *Prodromi Bibl. Hellen.*

e. *Bruchstücke zur näheren Kenntnis des heutigen Griechenlands*. Berolini 1805.

f. Vid. versionis Gallicae, qua usus sum, (Paris 1807. 8°. duob. vol.) partem secundam princ. — praecipue. p. 255 sqq.

lendis: de quibus rebus nos non judicamus. At ego ne illud quidem video, necessariò hoc antecedere debere. — Secundo hoc argumento utitur: *Graecos hodiernos passim non satis acuti esse ingenii.* Cui rectissimè respondit Coraës: „ non animadvertisse „ illum ad multitudinem librorum peregrinis linguis „ scriptorum, qui quotidie Graecè vertuntur: et „ plus justo attendisse ad quasdam ineptias quae „ quidem apud Graecos, verùm non magis quam „ apud alias gentes, vulgentur [g]". Et huic responsioni addi potest illud tritum: *Gutta cavat lapidem: consumitur annulus usu.* Nam et Graecorum ingenia jam magis magisque excoluntur; et jam, ipso non planè diffitente Bartholdio, libri boni frequentantur[h], ipsique Graeci navigationis peritiores, tum et divitiis potentiores evadunt [i]. Initia sunt haec majoris culturae. Quae quantum per Coraës optimi labores continuos propagata sit, ego, haec ipsa dum scripsi, e diario nostro vernaculo, cui *Artium et Litterarum Nuntio* nomen est [k], summâ cum voluptate intellexi. Ecce enim quae e Germaniae urbe Monacho ad d. 12. mensis Maji superioris scripta invenio: „ Laetior tandem „ hodiernis Graecis ad ingenia per scientias excolen„ da

g. Vd. Coraës 'Ακολουθία αὐτοσχεδ. στοχασμ. praemissam *Isocratis* editioni, Paris. 1807. σελ. β. στιχ. β.

h. Vid. ejusdem edit. l. l. p. 39.

i. Ibid. p. 44 et 63.

k. *Konst- en Letterbode* N. 22. (*Vrydag* 2. *Juny* 1815).

„ da exsurgit dies. Exitum enim habere incipiunt
„ doctorum quorundam virorum, qui Parisiis et
„ Vindobonae civibus suis erudiendis operam na-
„ vant, conatus. Athenis jam floret schola littera-
„ ria, et jam florescit Gymnasium, quod in monte
„ Pelio in Thessaliâ constitutum est. Praeterea Athe-
„ nis exstitit φιλομουσῶν Collegium, cujus socii,
„ qui jam ad ducentos sunt, illas, quas diximus
„ Scholas, tuentur: Antiquorum Monumentorum,
„ item Plantarum Herbarumque per Graeciam Mu-
„ sea colligunt, et hospitibus scientiarum caussâ
„ Graeciam adeuntibus itineris comites se praebent.
„ Conferunt autem quotannis tres nummos (*pias-
„ tros*) viritim: utque cives sui, si qui peregre ha-
„ bitantes dona tamen conferre velint, Vindobonam
„ ea mittere possint, providerunt. Quae symbo-
„ lae Museis illis locupletandis, et libris, scientiarum
„ apparatui, artium instrumentis, et tabulis geo-
„ graphicis coëmendis, auctoribus classicis typorum
„ ope divulgandis, praeterea renumerandis discipulis
„ diligentissimis inserviunt, quorum alumnorum prae-
„ cipui, sumtu Collegii, in Germaniam mittendi sunt,
„ quo uberius in Academiis erudiantur. Et huc
„ quidem, Monachum, jam advenerunt quatuor,
„ et plures exspectantur. Cui rei caussam prae-
„ buit Thierschii, viri Clarissimi, Graecè perdocti,
„ oratio, quam in Regiâ nostrâ Academiâ habuit, *de
„ hodiernorum Graecorum profectibus*, qua habitâ
„ eadem Academia tres Graecos, celebres viros, be-

L 2 „ ne

„ tre de patris meritos, *Coräen* Vindobonae [m] habitantem, Archimandriten *Anthimon Gazen* ibidem, „ et qui Senatui Corcyraeo ab actis est, *Mystoxiden*, socios sibi adscivit. Quippe quam orationem „ Patriarcha Constantinopolitanus grato animo excipi, populi totius nomine, significavit, et continuò juvenes illos Monachum delegavit.

„ Plura de hujus rei auspicatis initiis et de successu deinceps leguntur in programmatibus, quibus illa „ Gallicè et Graecè promulgata est, quod *Hermis „ eruditi* titulum praefert".

Et hinc est quod Georgiadae quoque inceptum prorsus probabile mihi videtur. Quippe eadem erit hujus scriptionis utilitas: ut nempe et ipsa aliquid ad Graecorum culturam conferat. Etsi enim propositum hoc sibi esse non disertè expressit auctor, tamen non potest fieri, quin illud efficiat, si modo magnum civium illius numerum spectes, qui *subscriptionis* nomine, id est, fide de emendo libello datâ, ipsum ad edendum, quasi praesenti pecuniâ, adjuverunt. Quò enim plures Graeci ditiores libellum legunt, eò magis idem reliquis etiam innotescat necesse est.

Hoc itaque si olim obtineatur, ut Graecorum populus quodammodo de novo constituatur, fieri non potest, quin reliquae gentes sua magnopere interesse putent, ut inter ipsas et hunc populum fre-

m. Anni quidem superioris initio scio eum Parisiis adhuc habitasse.

frequentiora intercedant commercia. Inde enim varia commoda oriantur oportet; primo omnium illud apud homines maximum, lucrum scilicet ex mercaturâ; alterum nobilius, sed pauciorum hominum, plenior antiquitatis cognitio. Atqui commercii frequentioris unicus velut Mercurii caduceus est sermonis communicatio. Ergò maxima hoc nomine utilitas foret pronunciationis, quae vel utrique parti prorsus esset una eademque, vel saltem utrinque aequè posset intelligi. Atque de pronunciationis emendatae utilitate non tempero mihi, quin addam, ne Cancellarii quidem Cantabrigiensis tempore, eam prorsus nullam fuisse. Checus enim et Smithus Erasmianam proferendi rationem ideò usu recipiebant, quod, primùm, longe magis quam hodierna Graecorum, ad antiquam accedere videretur: quodque, secundo loco, sonos singulos magis distinctè redderet, adeoque esset ad intellectum facilior. Utraque et tunc, et hodièque, ratio omnino est probabilis. Prius (multis in casibus vel ad capiendos veterum jocos ex ambiguo captatos, vel ad detegendos librariorum errores, usu venit. Posterius quantopere in discendo, puerilibus maxime ingeniis, laborem et fastidium levet, vix dici potest.

SECTIO TERTIA.

De eo quod quaeritur.

Ne vero incertâ quaestionis specie erremus, ego quidnam maximè quaeri opiner, ita proponam;

Primo loco, quaenam ab origine fuerit Linguae Graecae pronunciatio?

Altero, quaenam fuerit, optimâ Graeciae aetate, Platonis nimirum et Demosthenis tempore?

Quae quando sic propono, nudam veri rectique indagationem intelligo. Nam utra ex his pronunciationis forma nunc potissimum sit usu recipienda, id si definire hic velim, praejudicium adferre meritò videar. Id etenim, his duobus demum vel judicatis, vel concessis, tutò pronunciari posse mihi videtur.

SECTIO QUARTA.

De ratione statuendi circa antiquam pronunciationem.

Sequitur ut, quanam ratione de veterum pronunciatione conjici aut statui possit, indagemus. Atque Geor-

Georgiades quidem incipit a regulis quatuor generalibus, non sanè omninò contemnendis. Quarum PRIMA est [a], *non magni momenti esse exempla ab aliis linguis desumta*; SECUNDA [b], *neque indubitabile esse argumentum a Graecis vocibus, quae per Latinas litteras, aut invicem, scriptae inveniantur*; TERTIA [c], *non decere e verbis ὀνοματοπεποιημένοις, aut e sonis, ad animalium imitationem confictis, antiquam pronunciationem hariolari*; QUARTA [d], *vero similius esse, ut hodiernis Graecis recta in plurimis pronunciatio ab antiquis quasi per manus tradita sit, quam ab ipsis deperdita et ab alienis hominibus inventa.*

Earum ego *primam* et *secundam* regulam non planè improbo: modò cum judicio et peritiâ adhibeantur. De *tertiâ*, quae τὰ ὀνοματοπεποιημένα attingit, difficile in universum decernere. Id principio dico, non esse, cur quis argumentum illud ab ὀνοματοπεποιημένοις petitum rideat, ut facit Stephanus Wintoniensis [e], vel cur Georgiades illud ψυχρὸν vocet. Praeterquam enim quod nihil, e quo discas, non probabile, cur, quaeso, id nostrâ aetate minus liceat, quam licuit Lucillo, in libro nono Satyrarum de orthographiâ praecipienti, R litteram sic de-

a. Vid. Georg. §. 16.
b. §. seq.
c. §. 20.
d. §. 23.
e. Apud Haverk. T. II. p. 194.

describere [f]:

Irritata canes, quam homo, quam planius dicit?

At probè distinguendum esse monui. Nam verba sunt quaedam, quae vocem animalis aut sonum corporis cujuavis imitando exprimant, ut *χρεμετίζειν*, *hinnire*, *πολυφλοίσβοιο θαλάσσης*, caet.; at inveniuntur etiam vocabula quaedam ad illum sonum tantummodò auribus repraesentandum ficta, ut est, *αὖ*, *αὖ*, de canum latratu, aliáque. Priori generi concedo non multum fidendum: ita tamen ut in his ipsis quoque ad regulas, quas de reliquis propositurus sum, quodammodo respici possit. De hoc autem posteriore genere sic puto. Usui possunt esse hae voces inconditae, si simplices habeant sonos et unius sint, aut ad summum duarum syllabarum. In his enim, ut suum cuique solum est judicium, ita bonâ fide agendum est, quandoquidem ad illas notiones primarias, quae a mente sensuum auxilio solo percipiendae sunt, pertinent, quas, nisi quis se percepisse et ipse animadvertat, et fateri velit, nunquam illi persuaderi poterit. Immo in sonis magis compositis aliquo modo potent dijudicari, de iis soni partibus, quae in sono universo quasi dominantur. Quò refero, verbi caussâ, elementa a quibus illi soni incipiunt; sin autem soni plurium sint syllabarum, eam maxime quae acutissi-

f. *Quam* legendum cum Nonii, (v. *Irritare* I. 132.) libris scriptis et editis. cf. Donat. ad Ter. *Adelph.* II. 4. 18; Charis. L. I. p. 190. ed. Puts. Littera *M.* hic non subtrahitur in scandendo,

simè sonet, ita ut eam, Graece scribens, acuto accentu sis notaturus: denique elementa, quae saepius in eodem sono recurrant. Sic qui Aristophaneum g de ranis fictum illud audiat:

ὠὸπ, ὄπ, ὠὸπ, ὄπ,
βρεκεκεκὲξ, κοὰξ, κοάξ,
βρεκεκεκὲξ, κοὰξ, κοάξ,

is sanè concedat oportet illud κ non sonare potuisse verbi gratiâ ut λ; neque illud ε ut οὐ, pronunciandum esse. Sed haec, inquam, nisi quis per se senserit, et fateri velit, nunquam obtineas, ut is tibi, persuadere volenti, cedat.

Denique ad *quartam* regulam quam sumsit sibi vir doctus, qua ait *magis esse probabile, ut Graeci hodierni antiquitatis sonum custodierint, quam ut alieni homines eundem deperditum invenerint*, haec aliquo modo videtur id ipsum, quasi axioma, continere, de quo cum maximè utiam ambigimus. Sed videamus ultra. Nonne hodiernae etiam linguae a pronunciatione, quae aliquot retrò saeculis, vel etiam patrum, nostrâve memoriâ viguit, multum deflexerunt? Nonne sic, verbi caussâ, Erasmus h unius ejusdemque soni exempla adfert Belgica *huis* (*domus*) *muis* (*mus*); et Gallica *bruit* (*fama*, *rumor*) *fruit*, (*fructus*), quae tamen bina utriusque sermonis exempla hodiè toto coelo differunt? Nonne sic

g. In *Ran.* v. 210. sqq.
h. Apud Haverk. T. II. p. 92.

sic Checus [k] in Anglico idiomate vocem *men* (*homines*) τοῦ *e* brevis, et vocem *mean* (*medius*) τοῦ *e* longi exempla proponit, cum tamen hodiè alterum hoc *mean* non per *e* longum, sed per ἰῶτα proferatur [l]? Et quid multa? Nonne ipsi Graeci hodierni, eorumque defensores, fatentur in nonnullis se amisisse antiquum et germanum sonum [m]? Quid igitur mirum, si nos fieri potuisse existimamus, ut et alia, de quibus non conceditur, amiserint?

Sed jam nos universam hanc Graecorum argumentationem expendamus, nostramque proponamus sententiam. Abunde jam, credo, dixi, ut possim, ipsis etiam fatentibus adversariis, tantisper ponere, omnem hodiernam pronunciationem fortasse discrepare sive a nativâ, sive a juniore quadam, quae optimo saeculo in usu fuerit. Hoc posito, controversia poterit, sed non sine multorum opera conatibusque dirimi. Nam sic statuendum puto: „ Corruptio„ nem a duabus caussis oriri: quarum PRIMA sit

„ usu

k. Ib p. 285.

l. Hinc si quis aliquem sonum scripto exprimere per exemplum ex aliâ linguâ desumtum velit; is cautè aget, si e pluribus linguis exempla petat: ut si quando forte in unâ illarum tempore variaverit pronunciatio, reliquae saltem mentem auctoris declarare possint.

m. Vid. Erasm. Schmidt. §. III. apud Haverk. T. II. p. 634 et 648; Anton. Catephor. *Grammat.* p. 2. (apud Georgiaden §. 31. not 1.); ipse Georg. §. 27, 31, 39, 59, 63, 72, 128 et 130. not. 5.

„ *usus paullatim varians*, et, augescente apud po„ pulos ingeniorum culturâ, in melius, eâdem dimi„ nutâ, in pejus abiens; SECUNDA autem *exter*„ *norum idiomatum admixtio.*" — Porròque existimo utrumque, si tanti judicetur, posse investigari, sed non sine multorum eruditorum concursu, nec subitaneâ, ut factum huc usque, operâ. Ad *primum* obtinendum, opus erit multiplici, diutinâ, et minutâ non solum plurium linguarum, sed et praecipuè Dialectorum, et plebeji adeo sermonis observatione. Exemplo dictum illustrabo, ita tamen ut praejudicium facere nolim. Notum est Graecos hodiernos τὸ *e* longum, sive ἦτα, pronunciare prorsus ut ἰῶτα. Jam si quis inter plures populos animadverterit *e* longum vernaculum a plebe solere per *i* efferri [n]; rectè is, me judice, concludet, fieri potuisse, ut ἦτα Graecorum, quippe antiquis Grammaticis *e longum* definiatur, hinc etiam illud *e* longum sono suo reddiderit, nec nisi temporum corruptelâ in *i* abierit. Et simul ac concessum fuerit, hoc *fieri potuisse*, tunc an reverâ res sic se habuerit, ex antiquis auctoribus, maximè Grammaticis, inter se colla-

n. Et hoc reverâ sic se habet. Notissima est, inter nostrates, Amstelodamensis plebis dialectus, quae *e* longum, (*de hard-lange e*) semper profert *i*: ut *bien*, *stien* pro *been*, *steen* (*os*, *lapis*). Sic inter Gallos Parisienses mulieres, olera venalia clamitantes, omnes pronunciant *fives de Maris! fives!* pro *fèves de Marais! fèves!* (ciceçum genus) Alia exempla congessisse hic supervacuum.

latis, et bonâ fide expositis, probabiliter colligi poterit.

Nunc ad *alterum* illud, de aliorum idiomatum admixtione, venio, praemisso exemplo rem illustraturus. Si verbi caussâ diphthongi *au* et *eu* in linguis quibusdam, a Graecâ vel Latinâ jam ante barbarorum incursiones derivatis, hodièque pronunciarentur per diphthongum *au* et *eu*, non verò (ut Graeci nunc faciunt) per vocalem suam primam, cum litterâ *v*, hoc pacto *av*, *ev*; at constaret simul, istos barbaros in suis linguis eadem sonare *av*, *ev*; non sanè inepta foret conclusio, qua quis antiquos Graecos vel Latinos pronunciasse per diphthongum *au* et *eu* adseveraret. Ad haec verò indaganda necessaria foret cognitio plurium linguarum, quam quis solus tenere possit. Ergò et hoc casu ad doctorum symbolas confugiendum. Ego huc refero *primo* linguas Orientales: nec fortasse Indicae spernendae, quanquam harum minor fore usus videtur: tum *altero loco* idiomata earum nationum, quae Orientis et Occidentis imperium invasere, vel earundem progeniei; *dein* linguas gentium, quae Graeciae et Italiae maximè sunt finitimae, Slavonicae illas, et Celticae originis; postremo earum, quae a Graeco et Latino sermone ortae sunt. Nam, ut hoc semel moneam, Latina lingua a Graecâ non commode separari potest. Nec diffiteor, illum laborem operosum videri; sed ipsa res hoc exigit: atque opus est viris eruditis, quales, ne plures nominem, Germania A. H. L. Heerenium et F. Schlegelium, Gallia Graecum Corâen habet. Il-

lud

Illud bonum, quod, quamquam utilissima haec habeatur disquisitio, tamen non ejusmodi est, ut moram non patiatur, aut ut in eadem *opes Graeciae sitae sint*.

SECTIO QUINTA.

De Pronunciatione Litterae B.

Illa superiora habui, quae ad Georgiadae regulas generales in universum responderem. Singulis porro litteris tractandis symbolam meam qualemcumque conferre propositum quidem mihi fuerat, sed nimiae molis, et majoris difficultatis, quam pro meis viribus, opus fore vidi. Quare ab unâ tantum litterulâ B tractandâ hujus rei periculum faciam: reliquis, quantulumcumque est, quod ipse praestare possim, in aliud fortasse tempus servatis.

B ergo a Graecis hodiernis profertur ut nostrum V: pro qua pronunciatione haec fere sunt Georgiadae argumenta [a].

1. Diversa scriptura ejusdem vocis λαῦρος et λάβρος; μαῦρος et μάβρος; λαυράτον et λαβράτον; Ναυάτος et Νοβάτος; Αὔγαρος, Ἄβγαρος; Ἔβρος, Εὔρος [b];

2.

a. §. 32. sqq.

b. Nam ut obiter dixi, Sect. I. p. praec. Graeci hodierni ευ et ω pronunciant *AV* et *EV*.

2. Sonus Hebraici Beth, quod plerumque *v* profertur;

3. Pronunciatio Aegyptiorum Cophtarum;

4. Derivatio vocum *volo* a *βούλομαι*, *vis* a *βία*, caet.

Denique, quod ad Erasmi et Erasmianorum argumentum adtinet, qui dicunt, e Cicerone patere *τὸ bini* et *βίνει*, et hinc *β* et *b*, ejusdem esse soni, id ultimo loco sic solvere conatur *, ut dicat, *primùm non multum sono differre* VI *et* BI, *ita ut vel sic notata a Cicerone ambiguitas locum habere possit; tum, juxta quosdam*, B *Latinum etiam a Romanis antiquis adspiratius, quam nunc fiat, fuisse prolatum; denique argumentum nostrum nihil pro nobis efficere, cum etiam contra nos probare videatur et* [juxta Graecos hodiernos] *efferendum ut Latinum I.*

Horum ego argumentorum singula, quod jam dudum ab aliis factum est, non iterum discutiam: sed id tantum quod mihi, ratiocinationes hinc illinc factas diligenter pensitanti, verosimiliter colligi posse videtur, proponam.

Prin-

* Sic et solvit argumentum Erasmianae sectae, quod est: „Plinium Sec. (*H. N.* VII. 56. coll. V. 12.) de litteris inventis exponentem dicere: *Quarum omnium vis in nostris recognoscitur*". At ego pro Georgiade addam, hoc Plinii effatum mihi quidquam probare. Plinius hoc tantummodo vult, Graecas litteras per Latinas exprimi posse: non etiam singulas singulis respondere.

Principio ego universè hodiernum Graecorum proferendi modum jam antiquum esse, nunquam negaverim. Plurimae sunt, quae ex Eustathii verbis patet jam ejus tempore prolata fuisse sicut nunc fit. Alia etiam ante illum. At verò ut neutiquam probabile, omnia uno tempore mutata esse, praesertim si quis nobiscum credat duas, nisi plures, fuisse corruptelae caussas; *usum paullatim variantem; et barbarorum sermonem admixtionem* [4]; ita perquam difficile est tempora statuere, quandò singula sive paullatim, sive uno quasi ictu, et tanquam a gangraenâ vel incendio latè serpente correpta, a pristino sono deflexerint. Ergo hinc etiam pleraque argumenta viri docti, tam de littera β, quam sequentis de reliquis, existimanda.

Tum sic puto. *Antiquitus* pronuntiatum fuit β ut nobis Latinum *b*. Hinc ab antiquis collocatur mutum β inter tenue π et aspiratum φ. At sic, inquis, potius hoc contra te: nam γ multo magis quam β, ad adspiratam accedit. Immò non puto. Nam mea est haec sententia, olim fortasse latius probanda, aspiratam φ antiquitus non pronunciatam fuisse ut *f*, sed verè ut p adspiratum: *p — h*; quasi scribas ʽπ. com spiritu. Is sonus Gallis, verbi gratiâ, qui summis tantùm labris, non gutture sonos proferont, aliisque fortasse populis, siqui spiritum non satis validè quasi propellunt, paullo difficilior erit; nostratibus, *Ger-*

4. Vid. supra Sect. IV. p. 170.

Germanisque facilis; Judaeis vero etiam solennis; qui omnia densè protrudunt. Haec, existimo, erit illa diversitas litterae φ, et *f*, et digammatis, quam in veteribus notatam invenimus, nec alioquin intelligimus. Eandem veró rationem in reliquis adspiratis servandam censeo: dicendum nempe θ fuisse revera *t* — *h*, et χ fuisse *k* — *h* Quam rem cum totam nunc excutere consilii mei fines non patiantur, ego ad Prisciani testimonium [e] et ad marmora antiqua, in quibus Graecè pro Χ, ΚΗ, pro Φ, ΠΗ invenitur [f], provocasse satis habeo. — Haec de littera B prima mihi est argumentatio.

Praetereo voces *βομβέω*, *βαμβαίνω*, quorum illa *apium*, haec *balbutientium* sonos apud Homerum exprimit. Adlegat eas Paynius [g], ut probet τὸ β ut *b* nostrum fuisse pronunciatum. Quamvis et mihi hoc casu satis validum esse argumentum videatur; nolo tamen dare locum responsioni, qua quis dicat, argumenta ab *ὀνοματοπεποιημένοις* plerumque esse infirmiora.

Sed *Herodoti* certè tempore β ut *b* sonuisse, id, me judice, manifesto apparet ex historia illa, quam ipse [h], et eum secuti alii veteres tradiderunt, de ratione, qua Rex Psammetichus in Aegyptiacae linguae an-

e. l. I. cap. *de numero litter. apud vett.* praecip. col 542. Putschg
f. Th. Payne, *on Greek Alphabet.* Sect. I. p. 10.
g. Ibid. p. 6.
h. Histor. II. 22.

antiquitatem inquirere tentavit. Rex scilicet duos infantes in solo quodam loco reclusit, ad quos nemo accederet, nisi pastor, qui capram iis, cujus lacte pascerentur, quotidiè adduceret. At pastorem rex loqui vetuit. Infantes nihil pronunciare didicerunt, nisi *βέκκος*. Quem sonum Phryges tunc pro voce linguae suae, quae *panem* significet, acceperunt. Verùm multo credibilius est, ut ex Apollonii Scholiaste rectè monet Larcherus [1], infantes *βὲκ*, *βὲκ*, protulisse ad imitationem soni illius caprae. Terminationem *ος* addiderunt Graeci, utpote Graecam, et in nominibus Graecis familiarem: quia nomen aliquod substantivum a puerulis proferri falsò crederent. Jam ego rationes sic colligo; caprae non minus quam oves vocem suam inchoant a *β* aut a *μ*, certe non a *vau*: eundem sonum reddiderunt ii infantes: is sonus per antiquam traditionem expressus fuit litterâ *b* nostrâ; ergò nisi aut Herodotus, aut antiquissimi, a quibus ille historiam accepit, *τὸ β* eodem modo pronunciassent, certè illud non usurpavissent ad scribendum illud *βέκκος*, sive *βὲκ*, sed potius (ut faciunt Graeci hodierni quando nostrum *b* scribere volunt) litteris *μπ* usi fuissent, *μπέκκος*. Atque hoc in Codicibus inveniri non credo.

Tum *Cratini tempore* etiamnum *β* sonuisse *b*, ostendit ipsius versiculus, ab Aelio Dionysio apud Eustathium servatus [1]: multum ille ut dixi derisus, sed credo injuriâ:

'Ο

i. T. II. p. 152. ed. Paris. a. XI. (1802)

l. Vid. inter alios Mekerch. ap. Haverk. T. I. p. 54.

Ὁ δ' ἠλίθιος ὥσπερ πρόβατον, βῆ βῆ, λέγων, βαδίζει·

ut ovis, inquit, *βῆ βῆ dicens*. Quae de hoc argumenti genere jam praedixi, non repetam. Et hoc quoque loco addo, non quidem in ovibus distingui posse, utrum *βῆ* au *μῆ* proferant, quod quidam apud Haverkampium objecit, sed, nisi me fallant aurea, plane percipi, illas non sonare Vῆ, Vῆ, multo minus ut Graeci proferunt, *vi*, *vi*. Haec argumenta autem, de Herodoti et Cratini tempore, a sonis *βὲκ* et *βῆ* desumta, ego proponere ideò non sum veritus, quia in iis non agitur de *verbis ὀνοματοπεποιημένοις*, sed de simplicibus *sonis*.

Ad *Ciceronis* illud *bini* et *βίνει* venio. Quod quam ad solvendum difficile visum fuerit viro docto, apparet vel è multitudine rationum quarum singulas simul ac proposuit, rejicere videtur, ut aliam arripiat. Ego dicam quid mihi videatur. Ait Georgiades, Ciceronem non captasse *ταυτότητα*, sed tantum *ὁμοιότητα*; immò, me judice, vera est *ταυτότης* quam voluit Tullius, quippe ad quam caetera quoque exempla ibi relata multo propius, quam ad simplicem *ὁμοιότητα*, spectant. Tum eos, quos citat Georgiades, *qui Latinum etiam B magis adspirandum censeant*, in errorem inducit serioris aevi prava pronunciatio, de qua supra in his Collectaneis dixi [m], et mox [n] plura addam. Nec denique Erasmiani illud a Graecis objectum, de similitudine soni

nού

m. In Nonio Sect. III. p. 95.
n. Infra p. 180.

τοῦ ει et *ι*, *βασιλεία*, ut ait auctor, *σιγῇ* praetereunt. Nam Ceratinus quidem hac in parte Graecis concedit [o]. Mekerchus autem [p] recte respondet, *i* Romanorum quandoque sonuisse ut diphthongum *ει*. De quo elemento cum jam sermo non sit, ego Lucilii e libro nono fragmenta erudito Georgiadae in mentem revocasse contentus ero. Ergò et de Cicerone satis.

Denique aequalis ei *Julii Caesaris* temporibus Graecum B etiamnum sonuisse ut nos proferimus, ostendit illius numisma, quod idem Mekerchus e Goltzio profert [q], ubi legitur ΙΑΙΩΝ ΒΙΣ ΝΕΩΚΟΡΩΝ, quod sane Latinum *bis* exprimit. Ad aliud numisma Antonini Pii hic non provoco, quia non certum est, an ipsi Romani suum *b* tunc temporis adhuc, et per omnes dialectos suas, rectè protulerint.

Haec ferè sunt, quare viro eruditissimo non adsentiar. Quorum singula si ipsi levia videantur, at cuncta simul fortasse aliquid ponderis habebunt. — Nunc de sono, a quibus populis contaminari potuerit, hanc ego conjecturam facio.

Puto nimirum, pronunciationem *τοῦ β* per *vau* ex *Orientali* quodam fonte ortam. Cujus litteraturae cum, aliis studiis deditus, planè expers manserim, cui-

o. Apud Haverk. T. I. p. 362.

p. Ibid. p. 54.

q. Ibid. p. 61. De v. *Νεώκορος* Mekerchi errorem castigat Haverkampius, ib. p. 288.

cuinam ex illis linguis tribuendum hoc sit, non definiverim. At auctor mihi Martinus [r] *beth* Hebraeorum per se, et universè, sonare *v*, et tantum subinde, certo modo *b*, [s]. Ergò hinc esse potest. Confirmat argumentum meum haec res, quod plerique quidem Hispani et Galli *b* suum proferant ut nos, sed e prioribus Burgenses [t], e posterioribus Gascones [u], (qui Hispanis maximè sunt vicini) pronunciationem per *v* servant. Confirmat hoc, inquam. Nam Gascones ab Hispanis, Hispani autem illi a Mauris videntur accepisse.

Jam, ab Orientis imperio ad *Occidentale* propagata videtur haec proferendi ratio. Quo tempore nescio. Certè locum habuit Romano sermone jam in Galliâ vulgato: nam hinc est, quòd Gallica lingua hodierna in plerisque vocabulis *b* retinuit. At Cassiodori et Bedae jam tempore corruptum fuisse sonum, ostendunt loca, quae suprà ex iis laudavi [v]. Tamen non universum hoc Italis fuisse vitium credibile est: quoniam et hodiernus illorum sermo pleraque per *b* servat, in quibusdam tantùm mutat, in aliis utrumque vel discretè, vel promiscuè, usurpat, ut in verbo *avere* (*habere*); *habbiamo* (*habemus*); *nervo* et *nerbo* (*nervus*); *servare* et *serbare* (*servare*).

Dein

r. Apud Haverk. T. II. p. 584 sq.

s. De Cophtis, quos adlegat Georg. §. 34. nequeo judicare, quia citatus ab illo Postellus ap. Hav. T. II. p. 720. huc non facit.

t. Vid. G. Mart. ap. Haverk. T. II. p. 588.

u. H. Steph. ap. eund. T. I. p. 446.

v. Supra p. 178. not. m.

Dein e Graeco sermone in Russicum transiit. Ita tamen ut Russi Graecum B figurâ et potestate simili, scilicet quasi *vau* sonans, nomine *vedi*, retinerent; e Slavonicâ autem linguâ insuper adsciscerent non dissimili formâ litteram, sed cujus pars superior non integrum semicirculum repraesentat, quaeque nunc *b* nostram exprimat, et *bouki* [x] vocetur: ambas autem ordine juxtà se invicem in principio Alphabeti loco τοῦ βῆτα collocarent [y]. Et videor mihi observasse (nam in rudimentis tantùm me exercui) vocabula Russica, quae e Graeco vel Latino fonte sunt ducta, τὸ *vedi* (id est *vau*) adsciscere, ut *simvol*, (*symbolum*); *alfavit* (*alphabetum*) [z]; contrà quae e Slavonico aut Celtico, ea τὸ *bouki*, (id est *b* nostrum) habere; ut *bratj*, sive *bratets*, (*frater*) [a] quod cum nostro *broeder*, Germanico *Bruter*, Anglico *brother* convenit. Atque illud notari velim, cum nostrae linguae hodiernae *alphabetum*, et *sym-*

x. Diphthongo *ou* pronuntiatâ ut in Graecâ et Gallicâ linguâ, sive ut nostrum *oe* ut Germanum, et Italicum *u*.

y. Plures ejusmodi habet haec lingua litteras, numero et figurâ duplices, e Graeco. Sic Θ, quod illis sonat *fita* (ex Graecorum pronunciatione, quae Anglicum *th* imitatur) cum pro f habeant insuper aliud usitatius Φ (*fert*) Sic e Graeco habent etiam Ψ nunc obsoletum; et ne ipsorum *ista* figurâ accedit ad Graecum y, et dicitur *Kratko y*. (*i Graecum*) ortum et ipsum a corrupto sono Graeci ῆτα per Iotacismum prolati.

z. Vid. Maudru, *Elémens Raisonnés de la Langue Russe* Paris an X T. I p. 28

a. Maudru. l. c. p. 44.

symbolum, vernaculè transformata, per *b* proferant b, credibile esse Graecam linguam hos sonos suos non tradidisse, nisi postquam Occidentis idiomata jam essent formata, ita ut corruptela ad haec penetrare non potuerit.

SECTIO SEXTA.

De consilio hujus disputationis.

Exposui de hac unicâ litterâ ut potui. Atque utinam mei conatus doctiores quosdam aliorum labores eliciant. „ At quorsum, inquis, haec omnia? „ Si vel maxime verum foret, pronunciationem vel „ Graecorum hodiernorum, vel nostram, pravam „ esse, et utilem fore illius emendationem, quid „ istud refert? Ecqua ratione hoc obtineri possit?" Illud igitur unum mihi dicendum superest. Utilem certè emendationem non negas: restitui sensim linguam Graecam vides: et verò hodièque Graecè eleganter scribi, ipse ostendit Georgiadae libellus. Qui quanto patriae amore ardens in arenam descendat, patet ex his verbis, quae lubens describo: *Ἐθελοντὴς γὰρ, ὡς ὑπὲρ πατρίδος μαχούμενος, ἀλλ' οὐχ' ὡς ξενικός τις ϛρατιώτης μισθοφορῶν, ἐν ταύτῃ [τῇ τάξει] ἐμαυτὸν ἔταξα. Κἂν δὲ, τῆς ἀσπίδος με προδούσης, ὡς διὰ*

b. De *i* in *alsant* loquendi nunc locus non est.

διὰ τὸ μηδέποτέ με ταῦτα σπουδαίως ἐπιτηδεῦσαι, δεξιότητι ἡφαιστοπόνῳ μὴ χαλκευθείσης, τοῖς τῶν ἐναντίων βέλεσι κατατοξευθῶ· ἀλλὰ καὶ οὕτως οὐδὲ ποτὲ μεταμελήσει μοι τῷ ἔργῳ ἐπικεχειρηκότι·

Τεθναμέναι γὰρ καλὸν ἐπὶ προμάχοισι πεσόντα
Ἄνδρ' ἀγαθὸν, περὶ ᾗ πατρίδι μαρνάμενον. ———

Igitur tam generosi animi motus ad quaevis efficienda sufficiunt. Eò magis nunc valebunt, si ab altera parte non mala pertinacia, sed bona fides, verique ~~amor opponuntur. Si enim nos in~~ quibusdam erremus, quid caussae sit, quin protinus ipsi corrigamus, melius nativos Graecos intellecturi, melius etiam, si quando opus fuerit, locuturi? Nemo hercle Cancellarius nos cohibuerit. Itaque, vicissim, Graeci quare minus, quam nos, paullatim rectiora recipiant? Coraës [c] quidem optat, ut peregrini Hellenistae suam Erasmianam pronunciationem valere jubeant, quò majus inde linguae commercium inter ipsos et Graecos possit intercedere; sed quod ille ut votum proponit, id profectò quasi unicè verum et unicè justum, non urgebit: quod fidenter dico, tum quia optimi senis mores humanos novi, tum quod ex ipso saepe coram intellexi, eum pro pronunciatione non quasi pro aris et focis pugnandum censere. Et Georgiades, quo candore est, si qua temporum lapsu corrupta esse perspexit, ingenuè vitium confessus est [d], ut quando

c. Loco quem supra citavi [§ 1. p. 156. not. 6.]
d. Cf. sect. IV. not. m.

do egit de pravâ pronunciatione litterarum π post μ, et τ post ν, differentiâque litterarum η, ι, et υ; tum spiritûs et accentûs usu; denique de celeritate inproferendo, quae a Grammaticis συνίζησις nominatur. Et est eidem Graeco erudito tantus veri et recti amor, ut, illis notatis vitiis, passim [e] etiam viam indicet, qua melior pronunciatio obtineri possit: eò usque ut pueros a primâ institutione eidem adsuefaciendos opinetur. Quidni igitur fieri possit, ut saltem inter honestioris ordinis et eruditiores Graecos multa sensim emendentur? At ego non herele melius hanc disputationem finiero, quam ipsius auctoris verbis [f]: Δεῖ οὖν τοὺς ἡμετέρους νεανίσκους ἐκ πρώτης βαλβῖδος οὕτω ταῦτα [τὸ μακρὸν καὶ τὸ βραχὺ] προφέρειν ἑαυτοὺς συνασκεῖν. Οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ τὴν μικρὰν ἐκείνην παραλλαγὴν τῆς τοῦ η, ι, καὶ υ προφορᾶς σπουδαστέον αὐτοῖς μιμεῖσθαι, καὶ διάκρισίν τινα ἐν τῇ τῶν δασυνομένων ἢ ψιλουμένων φωνηέντων ἐκφωνήσει ποιεῖν. Οὕτω γὰρ τὸ ἀποβληθὲν ἀνακτώμενοι, καὶ τὸ ἐλλεῖπον, κατὰ τὸ ἡμῖν ἐφικτὸν, τῇ τῶν πατέρων διαλέκτῳ ἀναπληροῦντες, καὶ τὴν ἀρετὴν τούτων ζηλοῦντες, καὶ εἰς τὴν αὐτῶν σοφίαν καὶ δόξαν παλινδρομῆσαι ὅλῳ θυμῷ διαγωνιζόμενοι, ἔχοιμεν ἂν δικαιοτέρῳ τῷ λόγῳ Ἕλληνες καὶ Ἑλλήνων ἀπόγονοι ὀνομάζεσθαι.

CO-

e. §. 60, 128, 131.
f. §. pen.

CODICUM MANU SCRIPTORUM,
VEL EDITORUM,

Qui in Collectaneis Litterariis praecipue citantur,

NOTITIA.

AUCTORES LATINAE LINGUAE D. GOTHOFREDI.

Hujus *Corporis* editione utor Genevensi, 1622. 4°. Singulorum verò, qui in eo continentur, auctorum editiones, praeter nominatim laudatas, hae sunt:

VARRO.

Editio Scaligerana. Paris 1585. 8°.

FESTUS.

Editio Daceriana. Amst 1699. 4°.

NONIUS.

Libri manu scripti *Parisini.*

Tres consului Codices membranaceos, e Nonianis optimos, et quidem, ut fert Catalogus typis expressus, omnes saeculi *decimi.* Eos ego designavi litteris A, B et C.

I. *Codex* A in Catalogo notatur numero 7665. Praefert in fronte *Petri Danielis Aurel.* nomen. Postea fuit *Philiber-*

berti de la Mare. Desiderantur in eo libri Nonii *tertius* et *quartus* [a]. Omissa sunt pleraque exempla, aut laudata quidem, sed ut plurimum sine libri nomine, vel fabulae inscriptione.

II. *Codex B*, in Catalogo no. 7656, *Colbertinus*. Videtur ab eâdem manu descriptus ac praecedens, lectione et exemplorum citatione ferè ubique congruente, et charactere non dissimili: omissis item libris *tertio* et *quarto*.

III. *Codex C.* no. 7657, et ipse *Colbertinus*, mutilus est in voce *Metus* (II. 554) usque ad finem libri III: caeterùm in exemplis referendis integerrimus.

Reliqui, octo numero, quibus usus non sum, plerique erant chartacei. Ex his unus est seculi *decimi tertii*, sed is exiguum duntaxat Nonii fragmentum habens: caeteri omnes seculi *decimi quinti*.

Libri manu scripti *Bondamiani*.

In Bibliothecâ publicâ Lugduno-Batavâ tres adservantur Nonii libri editi, quibus multorum MStorum varias lectiones adscripsit Bondamus: ita tamen, ut ipse non nisi D'Orvillianum Codicem tractaverit, Gudiani autem varietatem lectionis ab *S. H. Reinaro*, caeterorum vel ab *Oudendorpio*, vel ab *J. N. Jantzonio*, quorum exemplaribus editis illa adscripta esset, acceperit. — Haec Bondami exemplaria ejus nomen praeferunt, idque, praeter unum, cum notâ anni 1747. Ipse Codicis *Gudiani*, *Vossiani*, *Leidensis* cujusdam, et *D'Orvilliani* obiter meminit in *Variis Lectionibus* suis [b] et praeterea, quales essent singuli Co-

a. Sic Mercerus notat, *in praefatione editionis suae*, magnam libri IV. partem in compluribus Germanicis et Anglicis Codicibus abesse.

b. Vid. l. II. c. 7. p. 224, 225; c. 14. p. 334.

Codices, ad illa exemplaria sua adnotavit. Inde ego haec excerpam.

I. *Codex Gudianus.* Hujus lectiones a Marq. Gudio ipso sunt descriptae [c]. Bondamus notat: „ unumquemque „ experturum, optimae esse notae Codicem, et haud pre„ tio minorem optimo illo, quo usus fuit Mercerus". Ipse quidem Codex ille manu scriptus sine dubio ad Guelferbytanam Bibliothecam devenit. Hic enim, in Catalogo scripto, inter *MSta Gudiana*, vidi nuper Nonii Codicem recensitum, hac descriptione: *Codex quadratus, et praestantissimus, antiquissimus. Membr. 96. Cud.* 4to. Codex non aderat: scilicet ante aliquot annos, cum optimis quibusque aliis libris editis et MStis, Parisios absportatus [d]. Neque Parisiis eundem vidi: quoniam ipse tunc nesciebam illic haberi.

II. *Codex Vossianus.* Collatus ab Oudendorpio, qui notavit: „ Codicem esse de armario beati Martini Turo„ nensis; Vossianum, egregium; Catalogi p. 373. N. 73". Jam in Catalogo Bibliothecae Leidensis, quò respicitur, ni-

c. Dubitabat quidem Bondamus, an forte collatio illa a *Samuele Sciassio* facta esset, cum liber ejus nomen praeferret. Sic autem ut concludat *Gudio* esse tribuendam. Sed parum refert, siquidem Gudius Sciassii fuit paedagogus et itinerum comes, eidemque mortuo haeres ex testamento exstitit. Addit idem: „ falli Fabri„ cium in *Bibl. Lat.* cum hanc collationem *Pareo* tribuit, Codi„ cemque nominat *Palatinum*". Fabricii locus evolvi meretur. Neque enim hunc, sed ipsum Bondamum falli puto. Etenim *Parei* ille *Codex Palatinus*, quamvis ad Gudium fortasse post Parei mortem pervenerit, ab antiquissimo Gudiano Codice, de quo nunc agitur, diversus esse videtur. De quo Palatino mox dicam n° VI.

d. Nunc spes est, fore ut Guelferbytanae Bibliothecae illi omnes restituantur.

nihil invenio, nisi: „ Nonii M. integrum exemplar vetustissimum, in membr." Ergo *Vossianum* esse, id tantum ex Oudendorpii adfirmatione patet: et fateor me vereri, ne confusus sit cum Codice *Anonymi*, de quo jamjam sum dicturus.

III. *Codex Anonymi Oudendorpiani*; collatus scilicet ab Anonymo cum Oudendorpii exemplari edito. Mirum ni hunc intelligit Bondamus, cum *Leidensem Membranaceum* appellat e, Codex est, secundum Oudendorpii adnotationem, in *Cat. Bibl. Leid. p.* 385. *n.* 116. E quo Catalogo patet, etiam Festum in eo contineri: codicem esse egregium, membranaceum, primò *Petri Danielis*, mox *Salmasii*, et, ex ejus dono, *Is. Vossii*. — Hic ergò meliori jure *Vossianus* dicendus erat.

IV. *Conjecturae Anonymi Jantzoniani*: quas nempe Anonymus adscripsit Jantzonii libro.

V. *Codex D'Orvillianus*. Membranaceus est, scriptus Ferrariae anno 1427: nec ordine solito, sed Alphabetico.

VI. *Codex Palatinus*. Hunc codicem, qui Leidensis nunc est, ego refero inter Bondami adparatum: quia, ni fallor, ex ejus auctione illi Bibliothecae advenit: *Catal. nu.* 64. *fol. Ex Legato Perizoniano*. — Papyraceus est, et ipse recens, quamquam sine loci annive notâ: ordine, ut praecedens, Alphabetico: lectione item passim cum illo congruens. Igitur fortasse aut illius apographum, aut ex eodem exemplari descriptus. — Et videtur hic esse Codex, de quo loquitur Fabricius f: siquidem in fronte schedula praefixa est, hac inscriptione: „ Hic liber MS. Nonii „ Marcelli in expugnatione urbis Heidelbergae ex Bibl. „ Ac-

e. In *Variis Lect.* l. c.

f. Vid. locum supra relatum, p. 187. not. (c).

„ Archi-Palatinâ direptus fuit a milite quodam, ao. 1622.
„ a. d. 20. Sept. a quo illum ego redemi dimidio floreno,
„ et quatuor integris panibus. FACTUM BENE. *Joh. Phi-*
„ *lippus g Pareus, Dav. Filius m. propr.*

Libri manu scripti *Guelferbytani.*

Praeter *Gudianum*, de quo supra dixi, alii sunt duo:

I. Quorum *prior*, papyraceus, fol. scriptus est Mediolani anno 1454. In eo Lucilii locus, de quo in *Collectaneis*, Cap. III. sermo est, sic, apparente lacunâ, exhibetur: *Dic quando cogitat . . . . minutim per commissuras rimarum rogare noctis* Fortasse τὸ *Dic quando*, pro *Dic quam* non est negligendum. — In hoc Codice etiam Festus continetur.

II. *Alter*, Gudianus et ipse: n. 103. fol. sed, ut adscripsit Gudius, „ pessime corruptus et depravatus sae„ culi *decimi quinti*". Et maximam partem mutilus. Hunc prorsus non consului. Continet etiam Festum.

Libri editi.

Nonii editio rarissima [h], Venetiis 1498. fol. cum Varrone et Festo excusa. Et haec in Bibliothecâ Leidensi (fol. 63. *ex Leg. Periz.*) servatur in Bondami apparatu: cujus nomen praefert cum anni 1762. notâ.

Editio, qua in numeris articulorum Nonii citandis utor, est Gothofredana supra nominata.

GRAM-

g. Fabricius quidem unico praenomine *Philippum* appellat; sed hic idem est.

h. Exstat etiam in Bibliothecâ civicâ Ratisbonensi. Vid. *Notit. Litt. de Varrone*, in Varr. ad. Bip. p. XXI.

GRAMMATICI PUTSCHIANI.

Duo sunt in Bibliothecâ Leidensi (*ex leg. Periz. Catal.* n. 51. et 53. 3. g.) corporis Putschiani exemplaria, quibus ad plerosque horum Grammaticorum varias lectiones undique collectas Bondamus adscripsit. Infinitus est hic labor, et tamen evenit, ut ego in iis bis tantum 1 ad haec Collectanea subsidii quid invenerim.

Diomedes. Editio Hermani Buschii Pasiphili. Colon. 1523. 8o. quam Bondamus a Wesselingio accepit. Huic exemplari adscriptae erant et aliae quaedam librorum editorum et scriptorum variae lectiones, quae mihi nunc non profuerunt.

Rufinus de Metris: cum Prisciano editus Venetiis 1476. Quam editionem Bondamo suppeditavit Bibliotheca Meermanniana. — Ad Rufinum nihil praeterea adhibuit.

Ad *Sosipatrum Charisium* nullam omninò lectionis varietatem adnotatam invenio.

LUCILIUS.

Editio Dousae. Lugd. Bat. 1597. 4o.

BUDAEI COMM. L. GRAECAE.

Edid. Basil. 1556. fol.

1. Cap. II. p. 11. et Cap. VI. p. 109.

INDEX AUCTORUM.

Quorum loca extra capitum ordinem corriguntur, aut explicantur.

PA-

AD-

ADDENDA ET EMENDANDA.

CAP. II. *p.* 10. *l.* 14. Postea suspicatus sum, me, pravâ interpunctione deceptum, hunc Quadrii locum malè accepisse, et verba *con quell' ornamento* intelligenda esse *cum hoc ornatu*, id est: *cum hac ipsâ larvâ*. Sic aequè vagus et indefinitus Quadrii ac Diomedis locus erit.

CAP. III. *p.* 18. *l.* 6. Ovidii locus est *Met.* IV. 65.

CAP. IV. *p.* 22. pr. Confer Ernesti Lex. Techn. Graec. Rhet. *Praef.* p. V.

CAP. EOD. *p.* 82. *l.* 12. Vidi postea, hunc versum in Thomae Gaisford editione (Oxon. 1810. 8vo.) rectius constitui, et cum sequente conjungi, hoc pacto:

Ὡς σὲ Διόνυσος αὐτὸς ἐξώλη θείη·
Ἴθ' Ἱππώνακτος τὸ μέτρον, οὐδέν μοι μέλει.

CAP. EOD. *p.* 95. *adnot. b.* Adde Praefationes ad Labbaei Glossaria.

CAP. VI. *p.* 109. *l.* 19. Adde Cic. l. l. c. 58. num. 236, et c. 60. num. 244. Conf. Ern. Lex. Techn. Lat. Rhet. v. *Acumen*, sub finem.

CAP. VII. *p.* 112. *l.* 20. Secundus cantici Plautini versus sic legatur:

Gradum proferam PRO/GREDIRI/ *prŏpĕrābo.*

Nam *progrediri* restituendum puto, metri caussâ. Sanè certum est, antiquos pro voce *progredi* dixisse activè, ut in tertiâ conjugatione *progredere*, sic in quartâ *progredire.* Vid. Prisc. l. VIII. c. 799. Puts; et Non. in v. *progredi*, VII. 47.

CAP. IX. *p.* 143. *l.* 11. *Turnebi* locus est *Adv.* XXII. 16.

CAP. X. *p.* 182. *l.* 21. Georgiadae hic locus est §. 31.

XX*

ERRORES TYPOGRAPHICI

graviores.

pag.	lin.		lege
4.	14.	IN *re*	INRE
7.	17.	*In nere:* litteris	*In re: in nere*, litteris
17.	20.	Tussis illa minuta *sine dubio*	*Tussis illa minuta* sine dubio
25.	9 a fine.	Anno 337,	Anno 537,
27.	adnot. c.	*Georgiade*,	Georgiade,
28.	10.	congruit. Quemadmodum	congruit, quemadmodum
30.	4.	quasi, omnes.	*deleatur distinctio.*
—	14.	Ab his Menandro et Philemone	Ab his [Menandro et Philemone]
31.	19.	μῦθος, τέμαται	*deleatur distinctio.*
32.	8. a fine.	harum	rerum
—	4. ——	per fabulas	perse fabulas
38.	6.	Atque	Atqui
40.	ad not. x.	v. 78.	p. 70. et §. 2. p. 84.
41.	2.	Aristotelis	Aristoclis
—	9.	ἰχῶτο	ἰχῶντο, ὡς φησὶν ὁ 'Αριστοκλῆς,
—	18.	Crepidatarum, nomen	*deleatur distinctio.*
43.	adnot. b.	Africanus	Afranius
44.	18.	villoris	sed villoris
45.	10.	Praextata,	Praetexta,
48.	ad not. h.	p. 41.	p. 38.
50.	22.	[per saepe]	[persaepe]
51.	10.	Rhinthonica - Planipedia.	Rhinthonica et Planipedia.
52.	10 a fine.	Si qui	li qui
54.	18.	κατασκεάζω.	κατασκευάζω.
57.	7.	Scholiastem	Scholiastam
60.	adnot. m.	Tr. in IV. 2. 20.	*Trin* IV. 2. 20.
61.	14.	ἴππος. Ὀχ —	ἵππος. Ὀχ —

N 2 pag.

pag.	lin.		lege
62.	7 a fine.	qui actus	ejus actus
66.	3.	versum	versuum
68.	7.	vidimus fabulas	vidimus, fabulas
76.	12.	*καθηγοῦμαι*	*καθηγοῦμαι*
78.	10.	quae	qua
87.	8.	poteri	poteris
92.	12.	*Eas*	*Ea*
93.	adnot. a.	inf.	in f.
102.	2.	obitur	obiter
103.	16.	Ἴμ	Ἴμε
——	19.	*δ' αὖ*	*δ' αὖ*
——	32.	ope rarum	operarum.
108.	13.	hac	hac
——	19.	Diomeden	Diomedem
109.	9.	, profecto.	profectò,
112.	19.	explanari	explanare,
116.	5.	*αναμνήσεται, δὲ*	*deleatur distinctio.*
118.	3 a fine.	in'—	aucto —
135.	adnot. f.	p. 172.	p. 245.
141.	2.	linguam	in linguam
144.	10 a fine.	in rebus	his in rebus
145.	10.	veribus	versibus
153.	2 a fine.	Ad	At
160.	4.	Dialectus	Dialectos
161.	adnot. d.	Rebl.	Bibl.
——	adnot. e.	*Grechenlands.*	*Griechenlands.*
164.	11.	quod	et in diario Graeco, quod
168.	3.	describere *f*	*Nota f reponatur in versu ipso, post priorem vocem* quam.
169.	10.	*ω*, pronunciandum	*deleatur distinctio.*
172.	adnot. b.	Sect. I.	Sect. IV.
Ibid.		et *ὡ*	*αἱ* ut *ὡ*

pag.

pag.	lin.		lege
175.	4.	Plurimae	Plurima
176.	14.	βαμβαίγω,	βαμβαίνω,
—	adnot. f.	Sect.	Sect.
179.	adnot q.	castiga	castigat
181.	adn. y l.2.	(ea	(ex eâ
	l.6.	Graecum y,	Graecum a,
	ibid.	Kratko y —	Kratko — y
183.	4.	οὐδὲ ποτὲ	οὐδὲ ποτε
	adnot. c.	[§. 1. p. 156. not. 6.]	[Sect. I. p. 156. not. 1.]
	adnot. d.	sect. IV.	Sect. IV. p. 170.
184.	18.	τῇ	τῷ
—	20.	ἄλλωνοι	ἀλλῶνοι
185.	14.	Amat.	Amat.
188.	adnot. e.	Lect.	Lectt.
190.	pen.	Edid.	Edit.

C. J. C. REUVENS

COLLECTANEA

LITTERARIA.

C. J. C. REUVENS

COLLECTANEA

LITTERARIA.